







IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI, PRO CICERONIS ORATORE contra Petrum Ramum, oratio.

NET CERATAS



NON SATIS VNA TE. ANCHORA PVPPES.


In geminam anchoram.

Fundabat satis Aonias una anchora puppes,
Dum tantum Ausonius musa naturet aquis.
Nunc quum Palladiæ sulcant maria omnia naues,
Visa & una parum est anchora, facta duplex.

Lutetiæ Parisiorum per Nicolaum Diuitem, via sacerdotum, ad diuæ Genouefes, sub insigni geminæ anchoræ.

CVM PRIVILEGIO REGIS

1547.




W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

SD 2859 I

SD 2859 Ib

SD 2859 Ic

SD 2859 Id






Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego.
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI, PRO CICERONIS ORATORE contra Petrum Ramum, oratio.

NE T CERATAS



In geminam anchoram.

Fundabat satis Aonias una anchora puppes,
Dum tantum Ausonius musa nataret aquis.
Nunc quum Palladiæ sulcant maria omnia naues,
Visa & una parum est anchora, facta duplex.

Lutetiæ Parisiorum per Nicolaum Diuitem, uia sacerdotum, ad diuæ Genouefes, sub insigni geminæ anchoræ.

CVM PRIVILEGIO REGIS

1547.

SD 2859 I d

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

1192249
N. 466 0180

IOACHIMVS PERIONIVS
Benedictinus Cormœriacœnus Petro Castellano
pontifici Matisconensi S. P. D.

MEmoria tenere te arbitror Aristotelẽ præstanti ingenio & doctrina uirum, clarissimumq; philosophum à Petro Ramo quadriennio abhinc grauissimis contumelijs, conuitijsq; uiolatum esse, idq; factum eius tam indignum & atrox uisum esse doctis ac bonis omnibus, non priuatim modo, sed etiam publicè, ut nihil eis prius fuerit q̃ ut illius audaciam, temeritatemq; talem ac tantam, quæ præsertim ad academiarum exitium, & perniciem pertineret, comprimerent ac coercerent. Supplicium quidem huiusmodi uidebatur esse, ut eum non solum retardare à simili facinore aliquandiu, uerùm etiam omnino in posterum tempus deterrere posset. Quod secus accidit. Is enim Aristotele omni maledictorum genere uexato, illiusq; repudiata labefactataque disciplina, tamen non se (id quod illum malo coactum facturum sperabamus) in officio continet, seq; ad Ciceronem accusandum iam his paucis mensibus contulit. Quoniam autem illum tum philosophorum principem oratione bene longa, ut scis, defendi, ueritus equidem sum, ne mihi uitio uerti posset, si eo officij genere quod Græco homini præstitissem, nostrum, id est, Ciceronem Latinæ præsertim eloquentiæ parentem desertum relinquerem. Orationem quidem ipsam ad te potissimum mittendam, in tuóque nomine diuul-

gandam censui, propterea quòd eiusmodi es qui pro
tuo in illum studio & amore, eius existimationem
ac dignitatem non solum eloquentiæ (qua
uales plurimum) uiribus, uerum etiam
auctoritatis tuæ põdere tueri possis
& debeas. Vale Cormœriæ
à Calend. Nouembris,
M.D.XLVII.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI, PRO Ciceronis oratore contra Petrum Ramum, oratio.

QVod superioribus tẽporibus prædixi fore, ut Petrus Ramus, qui Aristotelis philosophiam non labefactare tãtum, sed funditus euertere conaretur, non in hac arte una aculeos accusationis suæ consumeret, sed philosophorum patientia quam tentaret, ad cæterarum quoque artium perniciem atq; adeo interitum abuteretur: id nos iam his temporibus, id est quadriennio post, experimur. Is enim eundem se nunc Ciceroni in eius oratore ad Brutum reprehendẽdo præstat, quem se tum Aristoteli illius de dialectica libris refellendis præbuit, eum nihil distinctè, nihil enucleatè præcipere dicit, sed confusè perturbatéq; omnia: definiendi eum diuidendiq; ignarum fuisse uult in hoc libro, adimit ei cognitionem usumq; artium omnium, spoliat eum iudicio sensuq; communi: denique ita cum eo agit, sic eum tractat, tam studiosè (ne dicam malitiosè) in eum inquirit: ut nemo unquam magister aut præceptor tam seuerum se in discipulum uel ignarissimum in exigendis ijs quæ ad primas literas pertinẽt, præbuisse uideatur. Sed quoniam illis ipsis temporibus illa Aristotelis accusatione tantum in se bonorum, doctorumq; omnium odium cõcitatum esse sensit, ut edicto & diplomate principis supplicij causa uiderit ereptam sibi in posterum in Aristotelem dicendi potestatem: ita hanc rem astutè gessit, ut eius criminis inuidia in Brutum, cuius rogatu librum illum

Cicero scripsisset ad eumq; misisset, transtulerit: quòd speraret se, si Brutum de Ciceronis Oratore iudicium sententiámque proferentem & loquentem faceret, ita illius nomine subleuatum iri, ut nulla inuidia flagraret. Quod tamen eius factum si non laude dignum esset, at certè uituperatione careret, si Bruto in hac tota disputatione eam affinxisset orationem quæ tanti uiri personæ conueniret. Cum uerò Brutum ea in Cicerone reprehendentem inducat, quæ indoctissimus quisque fugeret ac improbaret: quis eum non iurè reprehendat, eiúsque tale consilium ac factum in aliena persona tam meptè inducenda, & rideat, & improbet? Mihi quidem certè res hæc tota tam atrox & indigna uisa est cum primum Calendis ferè Maijs proximis quæstiones eius Brutinas Lutetiæ in manus sumpsi, ut mihi primo quoque die & atrocitatem facti omnibus exponendam, & idem officium Ciceroni, quod quadriennio proximo Aristoteli præstitissem, præstandum intelligerem: præsertim cum eundem utriusque accusatorem esse animaduerterem, quem non ratio, non pudor, non religio, non officium discipuli, non beneficium magistrorum, non denique pietas retardare potuisset, quin præceptores tales uiros quibus doctrinam suam acceptam ferre deberet, summis iniurijs contumelijsq; afficeret atque uexaret: idque eo magis, quòd si minus superiore oratione qua Aristotelem defendi efficere potui, ut hoc malum aliarum artium homines conualescere, & in artium suarum pernitiem crescere ne sinerẽt: hac tamen perfecturum me esse speraui, cum

istum in duas iam disciplinas impetum fecisse cognouissent. Quapropter adeste in hac causa ijs animis, quos à uobis ea causa postulat, qua id non obscurè sed palàm & apertè agitur, ut uos nulla arte præditi uideamini, Ramus unus non solum instructus bonis disciplinis, sed earum etiam omnium quæ adhuc latuerint, inuentor & quasi auctor esse uideatur. Cum enim Aristotelis Ciceronisq; artificia improbat & uituperat, quos in suo genere excelluisse scimus omnes: profecto quem in ijs artibus, quas illi professi sunt, teneamus, nisi unum se reliquit excepitq; neminem. Quòd si hoc iam altero loco eius audaciam minime comprimitis, cupiditatiq; gloriæ resistitis: cui dubium est quin Hippocratem, Galenumq;, Euclidem, Archimedem, cæterarumq; artium principes reiecturus sit, eoq; doceat nec Medicinæ uos, nec Geometriæ, nec Astrologiæ, nec reliquarum artium laude ulla ualere & excellere, cum illorum modo artibus præditi sitis, quos iste in nullo numero aut loco habendos esse decreuerit? Hoc uobis iterum denuncio ac prædico, ne (quod omen Deus auertat) interitus & exitium artibus uestris comparetur: si negligitis, non me qui officio functus sum, sed uos qui parêre monenti mihi noluistis, accusare debebitis. Quare dum licet & res integra etiã est, in hãc uestram causam incumbite. Vos hortor rhetores, uos oratores, & qui Ciceronis eloquentiæ latinæ parentis amantissimi estis, Ramo, qui illum omni arte iudicioque spoliat, resistite, eius talem tantamque audaciam frangite, mucronem accusationis eius

retundite. Quod quò studiosius diligentiusq; faciatis, ita uobis exponam quæ in Ciceronem criminosa esse uult, itáque ea refellam, ut inuidia, maledicendique libidine impulsus, non ut quæ ueri simile est Brutu uenisse in mentem contra Ciceronis oratorem dicere ostenderet, ad eum accusandum uenisse uideatur. In quo eum ego ordinem quem ipse in accusando tenuit, seruabo. Brutum quidem facit Ramus dicentem descriptionem omnem oratoriam, id est, totum librum Ciceronis, qui Orator inscriptus sit, perpetua confusione conturbatam, multis locis manem, plerisque falsam sibi uideri, duasq; partis uniuersæ confusionis ad refellendum sibi statuentem inducit, unam ab initio usque ad elocutionis explicationem, alteram deinceps ad extremum. Quibus duabus partibus Cicero & oratorem & oratoris omnem laudem infinitis erroribus commentisque perdiderit. Quàm hæc quæso accusationis partitio & quasi fundamentum ei personæ quam sustinet, conuenit? ut Brutus, qui tantum Ciceroni tribuit, quantum uix alij nemini, omnia ab eo confuse perturbatéque dicta confirmet, oratorem oratorisque laudem omnem infinitis erroribus commẽtisque non contaminatam, sed omnino perditam dicat, idque sibi ad docendum uelit proponere. Ab hac præclara propositione ad priorem accusationis partem delabitur, in qua primum quærit Brutus illius, cum oratorem perfectum definiendum sibi proponeret Cicero, eum qui in foro causisq; ciuilibus ita diceret, ut probaret, ut delectaret, ut flecteret, quãobrem

in hac definitione falsa præsertim (ut ait) & absurda, tam longum, tam prolixum, tam inanem Asianæ & redundantis copiæ sermonem consumendum putauerit. Hoc ut probet, Ciceronẽ uult cogitare q̃ ad prolusionem tribus molestis egressionibus abutatur. Quæstionem, inquit, ponis, quis orator probandus sit maxime: repentè quæstionis huius immemor, de proposita uia discedis, & ab ea longissimè aberras. Hoc ego loco ad illam accusationem tuam Rame quæ in definitionis reprehensione uersatur, hoc tantum respondebo, quod uerbo reprehendas, id satis esse uerbo negare. Nunc de crimine egressionum dicam. In quo hoc tibi primum pro Cicerone respondeo, tibi cogitandum esse, q̃ apta hæc sit Bruto accusatio tua. Vis Brutum in Cicerone egressiones reprehendisse, ut aliquid diceres: Deinde Brutum à te indoctum nescio quem inducã, qui ea ut uitia obijciat & culpet, quæ in summa laude uersentur. Quis enim ei ignoscat, qui cum de rebus à communi sensu abhorrentibus dicat, non & timidè dicat, & ea quæ obesse alijs posse uideantur, doceat non solum nihil obesse, sed prodesse etiam posse, si modo possit ostendere? Qui autem hoc faciat, an non is laude potius q̃ uituperatione, eiusq; oratio approbatione magis omnium, q̃ cuiusq̃ reprehensione digna esse uideatur? Hoc Brutus ille non is quem tu tibi finxisti, & intellexit & fecit. Vidit enim Cicero plerosq;, cum fingi à se talem oratorem intellexissent qualis nunquam uisus esset, retardari à studio deterreriq; posse. Itaq; huic ille malo, tanto præsertim, remedium sibi q̃ primum afferendum putauit, idq; fecit primum poetarũ, deinde

philosophorũ, tũ statuariorũ, postremũ etiã oratorum cõmemoratione, quorũ studia retardata nõ fuissent sũma aliorũ, qui in similibus artibus excelluissent, laude & gloria. Quid tandẽ in hoc mali, aut criminis? aut quid nõ potius boni & laudis est? Vrget tamen etiam Brutus noster & quærit, quid opus fuerit tã bella cohortatione, cũ sua sponte, aut potius utilitate, Cicero auditorẽ ad audiẽdũ paratũ habuerit, præsertim cũ disputationis initio id abũdè perfectũ sit? Quasi uerò nõ hoc sit initiũ totius disputationis, aut res ipsa tã ab usu remota, támq; à cõmuni sensu omni abhorrens, nõ eã uim habuerit, ut animos & ingenia studiosorũ dicẽdi, ab arte abduceret. Atq; hæc de prima egressione. Alterã ait in definitionis explicãdis legibus esse cõsumptã. Idq; bellè quidẽ & uerè à Cicerone factũ, sed ineptè & indecẽter, qd artiũ institutẽdarũ & tractãdarũ ordinedocere conaris. Sed uide q̃ id qd̃ ius nõ efficias. Nõ enim si in grammatica tradẽda, quæ prima est ac simplex, uitiosũ est dialecticorũ præcepta inculcare, propterea in arte rhetorica, quæ dialecticæ ex altera parte quasi respõdet (ut docet Aristoteles) id nõ licebit. Vt in musica, si quis de numeris qui arithmeticæ ꝓprij sunt dicat, nõ iniquè, nec ineptè faciat. Qd̃ eodẽ modo de magnitudinibus in geometria, & astrologia iudicãdũ est. Quòd si hæc in his artibus q̃ ꝓpauca inter se cõmunia habẽt, fieri licet, qd de disserẽdi ac dicẽdi artibus dicemus, q̃ & rẽ cãdẽ sibi ꝓpositã habẽt, & eosdẽ locos, tãtáq; societate cõiũctæ sunt doctissimorũ hominũ (quã posteritas secuta est) sẽtẽtia, ut utraq; manui similis esse dicatur, nec inter se differãt, nisi q̃tũ manus à se ipsa cũ

in pugnũ cõpressa est, & cũ in palmã dilatata, interest? Isto quidẽ pacto locorũ argumẽta in arte dicẽdi tradẽda nõ erũt, nihil de dispositione, nihil de exornatiõe ac laudatiõe, nihil de deliberatiõe dicẽdũ erit. Sunt enim hæc aliarũ artiũ propria. Quãquã hoc alia etiã ratione defendi potest. De perfecto oratore cũ Cicero Bruti rogatu quæreret ac disputaret, eũq; statueret in quo nihil desyderari posset, an nõ cõsentaneũ esset fuit, eũ perpolire, & quasi ornare omnibus optimis disciplinis? Sed de hoc post dicemus copiosius & pluribus. Nũc de dialectícæ præceptis legibusq; dicamus. Ponit Cicero, sine philosophia nõ efficiã quẽ quærat eloquẽtẽ: hoc iste cũ ad utilitatẽ trãsferat, parũ dicit. Nõ enim idẽ utile est, qđ necessariũ: cõsisteréq; possunt artes, etiã si rebus utilibus careant: iis aũt quæ necessariæ sunt destitutæ, esse nullo modo possunt. Sed demus tibi ueniam uerborum uim nõ ita subtiliter põderãti. Quid? Nõ efficiã putas, si utilis sit oratori philosophia, ut cõsentaneũ sit in explicãdo oratore de philosophiæ legibus ac institutis præcepere? In quo hoc à te quæro, quãsnã Cicero philosophiæ leges aut præcepta hoc in libro tradat. Nullũ nominare potes, nisi fortè illud unũ qđ est in prima ferè pagina positũ his uerbis: Quicquid est igitur, de quo ratione & uia disputetur, id est ad ultimã sui generis formã speciẽq; redigẽdũ. An hoc præceptũ unũ paucáq; alia eiusmodi sunt ut te, id est Brutũ tuũ, tã acerbã accusationẽ proferre cogeret, támq; longã eã, ut uix tres paginæ cõprehẽderent? Quã qui sine oratore legent, ĩ illius acerbitate & indignitate ducti, Ciceronẽ totũ ferè librũ tradendis philosophiæ præceptis eõsumpsisse

iudicabunt. Vrget etiam nos uehementius, falsi crimine. Cum enim hoc totum quod est Ciceronis proposuit, quærit num ista sit multo uerior: Eloquentia est philosopho necessaria: idq; hoc ipso confirmat, q̃ non consequentibus antecedentia studia, sed contrà antecedentibus consequentia indigeant. Ego antè q̃ ad hanc tuam conclusiunculam respondeo, de te quæram, cur propositionem hanc consyderandam alijs solam reliqueris, non etiam rationes Ciceronis quibus eam confirmat & illustrat, attuleris. Multa enim uerè illa quidem dicuntur, sed plerumq; eiusmodi sunt, ut nisi adhibito nitore & quasi lumine orationis, falsa uideãtur. Quod cum ille eius illustrandæ causa fecerit, tuũ fuit ea omnia, aut certè nonnulla proferre. Tum enim & rei fortasse multis obscuræ ueritas patefacta, & tuæ calũniæ locus nullus relictus esset. Hoc tu quoniam calumniandi, ut dixi, causa prætermisisti, faciam. Positum sit igitur inquit in primis, quod post magis intelligetur, sine philosophia non posse effici quem quærimus eloquẽtem, non tamen ut in ea sint omnia sed ut sic adiuuet, ut palæstra histrionem. Parua enim magnis sæpe rectissimè conferuntur. Hoc multis rationibus cõfirmat, quarum hæc prima est: Nam nec latius nec copiosius de magnis uariisq; rebus sine philosophia potest quisquam dicere. Duas alias affert deinceps, quarum posteriore quæ sint magnæ illæ res explicat. Nec uerò inquit sine philosophorum disciplina genus & speciem cuiusq; rei cernere, neq; eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possimus, nec iudicare quæ uera quæ falsa sint, neq; cernere consequentia, repugnantia

uidere, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio, magnam orationis suppeditat copiam, de uita, de officijs, de uirtute, de moribus sine multa earum rerum disciplina aut dici, aut intelligi posse? Quod autem ait Cicero, quod post magis intelligetur, id est copiosissimè & uberrimè media ferè libri parte explicatum. Hæc tu Brute noster si attulisses, nihil fuisset cur aut falsi crimen Ciceroni obijceres, aut conclusiuncula eum captare uelles. Omnes enim cum eius spectassent intellexissent́q; sententiã, si hæc euomeres, te statim refellissent. At non consequentibus antecedentia studia, sed contrà antecedentibus consequentia indigent. Hoc quadam ex parte, non in totum uerum est. Si enim artes perfectas consyderemus, ea studia quæ suapte natura antecedunt, consequentium indigere uidebuntur: si cum alijs minus absolutis conferãtur, ut grãmatica quæ prima est omnium natura, si ad absolutã formam redigatur, quodammodo multarum disciplinarum indigebit. Itaq; Quintilianus grammaticum uult non esse ignarum artis dicendi, non historiarum, non poëtarum, non geometriæ, non deniq; ullius artis rudẽ. Grammaticus eum se esse profitetur qui oratores enarret & explanet, qui poëtas interpretetur, qui historicis lucem afferat. Est igitur ei necessaria artium illarũ cognitio, ut suo munere officióq; fungatur. Quanquam ne hoc quidem in loco grammaticam plenam atq; perfectam intelligere cogimur. Neq; enim, non dico perfectus Grãmaticus, sed mediocris ac tolerabilis retinere nomen artis suæ sine artis poëtarum aliqua cognitione ullo modo potest. Atqui Grammatica naturæ ordi-

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA POZNAŃ

ne prior est, poëtica posterior & consequens. Quæ si grammaticæ necessaria est ad munus suũ tuendum, falsum est id quod ais, priora studia necessaria esse posterioribus, non consequentibus antecedentia egere. Quæ est igitur reprehẽsio tua? Quæ (malum) ratio est, in eo quod corrigas peccare? Quid est aliud semetipsum refellere, si hoc non est? Quid est aliud se omnibus deridendum, ut Terentiano uerbo utar, propinare? An nõ id uerum esse omnes iam intelligere possunt, quod doctissimis uiris quibusdam dixi, cum primum Lutetiæ Calẽdis ferè Maijs in manus meas præclaræ istæ tuæ quæstiones uenerunt, eius libri inscriptionem libro optimè conuenire? Sunt enim Brutinæ quæstiones, siue uno uerbo Brutinæ dicantur, siue duobus. Sed ad alia ueniamus. Non est ꝙ expectes dum tibi ad omnia sigillatim respondeam. Sunt enim pleræq; tuæ criminationes ac reprehensiones tam leues, tamq; perspicuè falsæ, ut qui eas diluere uelit, nihil facere uideatur. Se enim ipsæ refellunt, facileq; declarant, quo animo ad accusandum Ciceronem descenderis. Quid enim criminis in eo est, ꝙ Periclẽ Cicero cæteris oratoribus ait apud Platonem in Phædro Socratis sententia præstitisse, ꝙ Demosthenem clariorẽ è Platonis quasi officina produxisse, ꝙ ipse se oratorem, si modo sit, aut etiam quicunq; sit, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatijs extitisse? At hæc tamen criminosa in eũ censes esse oportere. Quid dicam de Ideis? de quibus à Cicerone suscepta & habita oratio à te obscuritatis primũ crimine damnatur, deinde quoniam subobscurã eam ille dixit futuram quæritur, qualis tandem doctis & peri

tis futura sit, nũ facilis & perspicua? An nõ hæc tua oratio uanitatis plena est? Subobscuram eam ille ait, tu quæris de obscuritate quæ sit in oratione, quid respondeat. Quasi uerò tam perspicua esse debeat, eam ut quiuis intelligat, nec liceat ea dicere, quæ aut nunq̃ commemorata sint, aut ita uetera & antiqua ut noua esse uideantur. Atq; hæc de Ideis quæstio, non indoctis modo, sed doctis etiam perobscura & perdifficilis uidetur: nec si quis eas incognitas habeat, idcirco, id quod tu Ciceronem uis existimare, ignarus est habendus. Sunt sanè eruditis etiam hominibus perobscuræ nec planè cognitæ. quid tum? an tã graue crimẽ est de ijs dicere, q̃ inducis? Quãdo, aut apud quos non licuit ea dicere semper, quæ causæ ac rei quæ tractetur plurimũ prosint? At Bruto scribebat orator em suũ. Scribebat sanè, & rogatus. Itaq; hæc illi ingrata esse nec potuerũt, nec uerò debuerũt. Quæ sequũtur, à te in risu, iocis ac salibus cõsũpta sunt omnia. Quibus prætermissis, ad triũ dicẽdi generũ crimẽ uenio. Tria dicẽdi genera: Cicero ponit: subtile, graue, & temperatũ: in qua iste partitione hoc reprehẽdit, q̃ nõ ad elocutionẽ, sed ad res ipsas quæ elocutione tractantur, fuerit accõmodãda. Graue crimẽ, si uerũ. Hoc ut ꝓbet, comœdiã nobis ꝓponit, in qua sint omnia & uerborũ ornamẽta, & sentẽtiarũ: illius summissã orationẽ esse dicit. Quis hoc tibi dabit? An tibi nõ uitiosa oratio uideatur, qua res humilis ac subtilis omniũ & sentẽtiarũ grauitate, & uerborũ maiestate tractetur? Quid enim magis alienũ officio, q̃ res tenues grauiter copioseq; dicere? Quæ aũt res soco humilior potest esse? Quã igitur nobis cõstitues

Comœdiã, eius uitiosa est oratio. Quod eodẽ modo de Tragœdia, & re moderata quas fingis, licet existimare. Neq; enim aut Tragœdia, aut res moderata ulla esse potest, quæ non si omnia uerborum sententiarũq; lumina habeat, à præceptis artis abhorreat. Quid enim magis ridiculum sit, q̃ si quis historiam conscribẽs hæc omnia quasi aucupia quærat & consectetur? an non orator potius q̃ historiographus, & exornator magis q̃ narrator uidebitur? Non igitur contra Ciceronem ualet, quod tuus Brutus affert. Loquitur enim ille de recta oratione, tu de uitiosa. In recta autem oratione, si humilis sit, omnia docẽri uult, omnia dilucida esse, non ampliora: fugienda enim sunt submissa, tũ paria paribus relata, tum similiter concluſa, eodémque pacto cadentia, & immutatione literæ, quasi quæsitæ uenustates. Tu autem hæc omnia cæteráq; & uerborum & sententiarum lumina in hoc genus cadere posse existimas. Nec uerò prosopopœia eadem, id quod uis, comica & tragica esse ullo modo potest. Alia est enim comicarum personarum dignitas, alia tragicarũ. Itaq; humilem humilis, grauem grauis decet oratio. Nõ igitur Cicero hæc tria dicendi genera ita existere uult & quasi efflorescere ex elocutione, ut à rebus ipsis quæ dicendo tractentur, ea neget oriri: sed contrà illa ipsa tribus rerum generibus seruire uult. Sint enim res oportet, de quibus dicatur. Eæ autem quoniam triplices sunt, aliæ graues, aliæ acutæ ac subtiles, quædam utrarumq; participes, ex eo tria ipse dicendi genera fecit. Quòd si uelim, ut tu, aliquid exempli causa fingere, tum & res quibusdam locis non ex se utiq; sua, sed

ex oratione qualis sit ponderari uidebitur, & recta illa erit oratio. Quid est enim quæso te Brute noster, in quo regina dominetur oratio? aut quod est potius maiestatem quandam dignitatémq; afferat? an non augendi amplificãdiq; scientia? Ea uerò qua in re magis splẽdescit, q̃ cum oratione fit ut res paruæ, magnæ grauésq; uideantur? In quo tandem genere res illæ erunt? Si eas per se & ex se, uíq; sua spectes & æstimes, nónne paruæ tenuésq; habebuntur? Sin ex pondere, & quasi flumine orationis, an non grauissimam quamq; æquabunt? Ex quo intelligi licet, non ex rebus semper, id quod uis, genus orationis, sed ex genere dicendi res interdum & ponderari & elucere. Rides tu quidem multis uerbis Ciceronem, quòd inuestiget oratorẽ quẽ ipse, ut ais, iam inuenerit, id est quem inuenerit antè q̃ inuestigauerit. O calumniandi libidinem. Tibi materiã fingis & quæris, ne tibi defuisse uideatur oratio. Cicero quidem initio libri pictorum & statuariorum exẽplo perfectæ eloquentiæ speciem se animo uidere dicit, effigiem autem auribus quærere: eadem autem ferè pagina, inuestigemus inquit, igitur hunc Brute si possumus, quem nunq̃ uidit Antonius. Tu uerò ita eum reprehendis, quasi duobus illis locis oratoris mentionem fecerit. Atqui aliud est perfectæ eloquentiæ formam animo cernere, aliud perfecti oratoris. Cicero igitur cũ absolutæ eloquentiæ speciem animo uidere se asserit, & effigiem auribus quærere, non quod mente cernebat se quærere uelle dicit, sed eius effigiem quæ ad illius imitationem expressa sit in oratore aliquo, audiendis oratoribus exquirere. Hoc enim dicit effigiem per-

fectæ eloquentiæ auribus se quærere, cuius speciẽ animo complecteretur. In quo ut quod uerum est dicam, insatia lapsus es. Idẽ enim esse putasti eloquentiæ speciem, & effigiẽ, quod falsum est. Species enim res ipsa est absoluta, effigies autem rei ad eius speciẽ & formam expressum simulachrũ. At tandem exclamat, tenemus igitur Brute, quem quærimus, sed animo: nã si mam cõprehẽdissem, & quæ sequuntur. Alludit his uerbis Cicero ad uerbi tenẽdi ambiguã significationẽ. Et profecto iã tũ inuenerat oratorẽ perfectũ, cũ is qualis esse deberet ad eũ usq; locũ expressisset. Quid nunc te præclara illa nõ ab homine, sed ab asello ducta similitudo adiuuat? An non sentis homines intelligere quæ sit frõs tua? quæ audacia? quæ calũniandi libido? Triẽnio antè Aristotelẽ sophistam, asinũ, ignarũ, & expertem omniũ artiũ appellasti, omni eũ cõuitiorũ maledictorumq; genere affeciſti. Hoc tibi quoniam iã nõ licet, in Ciceroné impetum facis. Nõ te tui pudet? nõ mendaciji? nõ uanitatis? A quibus tandem te ratio cohibebit, quẽ à talibus uiris, id est in suo genere omniũ consensu præstantissimis cohibere nõ potuerit? At Brutus hic loquitur, non Ramus. Quàm quæso decorũ est, Brutũ illum ea facere tribuentem Ciceroni, quæ in puero ferẽda non sint? Quis enim puer ita cõfuse & perturbatè aliquid dicat aut faciat, ut quod iã inuenerit, exquirat? Nec uerò hic finẽ facit Brutus tuus, omnia in Cicerone exagitat, in eũ inquirit: sed q̃ malitiosè, ut superiora, sic quæ sequuntur age uideamus. Quoniã Aristarchus grammaticus, Plato philosophus, Euclides mathematicus ductus est, aliquis etiã orator ad illã Ciceronis defi

mitionem accommodabitur. Præclara sanè conclusio. Illi suarũ artium, ut uulgo loquimur, professores fuerunt, ꝙ illorum artes perfecti absolutiq; generis quædam non expressa, sed tantũ adumbrata simulachra essent: Cicero autem eum quærit oratorem, qui nunq̃ fuerit, isq; qualis tandem esset, si posset esse, definiendo explicat. Quæ tandem reprehẽsio est nisi Sophistarum propria, cum aliud intelligitur, & aliud refellitur? Cicero eloquentem se nunq̃ inuenisse dicit, tenere se fatetur, sed tantum animo. Brutus noster eũ & inuenisse, & tenere non speciem eloquentis sed effigiẽ dicit. At eum Demosthenis & suis orationibus exornat. Sanè exornat, sed in quo hæc sint, non continuò eũ uult esse eloquentem. Eum enim informat cui nihil desit, & in quo nihil desyderetur, qualis quoniam nemo unq̃ fuit, aut potest esse, non est ab eo inuentus. Ita qui ab illo inuẽtum eũ dicit esse, is perspicuè falsa pro ueris affirmat. Quàm uerò præclarè hũc totũ locũ cõcludas, consyderemus. Verba tua subijcã, ut id oẽs intelligere possint. Itaq; tanq̃ prodigij instar negotij oratorẽ perfectũ reperiri in Græcis & Latinis oratoribus: quasi uerò facilius sit perfectum grãmaticum, perfectũ dialecticũ, perfectũ medicũ, perfectũ deniq; in ulla alia arte uirũ inuenire, q̃ in rhetorica, aut omnino id fieri possit, cum eiusmodi perfectio ex tribus constet rebus, natura, arte, usu: quarum nulla unq̃ fuit uel erit in homine perfecta. In qua quidem tua oratione, quid primum reprehendam, certe nescio, repugnantiamne, an falsitatem: an puerilem rerum uerborũq; consequentiã. Pugnãtia enim dicis, cũ & superiore adhuc oratione Ciceronis

oratorem eo ipso q̃ eum tantum animo cerneret, eũq; informaret ipse, qui nunquã uisus esset, aut esse posset, improbaueris, & nũc perfectionem artis dicas tribus rebus constare, quarũ nulla unquam fuerit aut futura sit in ullo homine perfecta. Falsa etiam constanter affirmas, cum ais sic negasse Ciceronem oratorem perfectũ in Græcis & Latinis reperiri, quasi facilius sit perfectum grammaticum, perfectum dialecticum, perfectũ medicum, aut perfectum deniq; ulla alia in arte uirum inuenire, q̃ in rhetorica. Quæro enim ex te, num hoc ita negarit in rhetorica, ut in cæteris artibus facilius reperiri posse concederet? Quid respõsurus sis, ne te ipse refellas, scio & intelligo. Quid autem respondendum sit, exponam. Dico Ciceronem non solum de oratore perfecto loqui, sed cæterarum quoq; artium homines absolutos hac sua oratione cõplecti. Quo id pacto doceri potest? inquies. Repete quæ ille initio huius disputationis posuit, tum & id facile intelliges, & te errare fatebere. Sed ego, inquit, sic statuo nihil esse in ullo genere tam pulchrum quo non pulchrius id sit, unde illud ut ex ore aliquo quasi imago exprimatur, quod neq; oculis, neq; auribus, neq; ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum, & mente complectimur. Itaq; & Phidiæ simulachris, quibus nihil in illo genere perfectius uidemus, & his picturis, quas nominaui, cogitare tamẽ possumus pulchriora. Nec uerò ille artifex, cum faceret Iouis formam aut Mineruæ, contemplabatur aliquem è quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quã intuens, in eaq; defixus, ad illius similitudinem artem

& manum dirigebat. Vt igitur in formis & figuris est aliquid perfectum & excellens, cuius ad excogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa cadunt: (neq; enim ut hoc interim moneam) legi debet non negatio? sic perfectæ eloquentiæ speciem animo uidemus, effigiem auribus quærimus. Vides Brute noster, quemadmodũ perfectæ eloquentiæ (quã quærat) speciem, ex perfectarum aliarum artium specie similitudinéq; ducat. Quòd si perfectos pictores Cicero qui nusq̃ reperiantur ponit, falsum est id quod ais, eũ de oratore nõ concedere, & concedere de cæteris, Sed hoc tibi ignosco, & ignoscendum censeo, ut in superiore hæream, cætera duo inquam negligo, in hoc uno commoror. Quid tibi uis Brute? Quid quæris? quid te ad scribẽdum impulit? An q̃ Cicero talem oratorem inuestigauerit, & informauerit, qualis nusq̃ fuerit aut futurus sit? At hoc fateris, quod cum fateris habeo aduersarium confitentẽ. Sed progredior etiam longius. Si hoc sentiebas, cur tu oratorem qui tibi probatur, idẽ improbas? Si enim tibi probatur, eum improbare non debes. Si improbas, te ipse reprehẽdis. Et tu cum eiusmodi sis, Marcum Ciceronem in idem crimen uis includere. Ais enim eum cũ in uno libro Thucydidem facilè omneis uicisse dixerit, in hoc ipso quem tu reprehẽdis, ita eius extenuare orationem, ut ab ea nihil transferri possit in forum. Inconstantiæ hoc maximè crimen est, si uerum: sed falsum est, túq; eximus calumniator habendus es, qui mala fide Ciceronis sententiam ut inconstantiæ crimine damnãdus uideatur, explicas. Verba & tua & illius proferam, quò facilius & tua ma-

non

de 3. Thucy

litia coarguatur, & illius dignitas retineatur. Tua quidem hæc sunt: Vereor tamen id unum, ut tibi possim concedere, q Thucydidis orationem sic attenues, ut nihil ab ea possit ad oratorem trãsferri. Nam tu ipse reminiscere, quæ apud te de illo uiro loquatur Antonius: Thucydides (ait) omnes dicendi artificio facilè uincit: qui ita creber est rerum frequentia, ut uerborum propè numerum sententiarum numero consequatur. & quæ sequuntur. Verba autem Ciceronis ex secundo de oratore ad Q. fratrẽ libro paulò altius repetam, quibus Antonium loquentem facit de historia: Minime mirum, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiæ nostrorum hominum, nisi ut in causis atq; in foro eluceat. Apud Græcos autem eloquentissimi homines remoti à causis forensibus, cum ad cæteras res illustres tum ad scribendam historiam maximè se applicauerunt. Nam & Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornauit, in causis nihil omnino uersatum esse accepimus: atqui tanta est eloquentia, ut me quidem (quantum ego Græcè scripta intelligere possum) magnopere delectet: & post illũ Thucydides omneis dicendi artificio mea sententia facile uincat, & quæ sequuntur. Hæc tu omnia si attulisses, facile omnes quæ uerborum Ciceronis sententia sit, intellexissent. Nunc cum partem tantum subiecerís, qui hoc audiunt aut legunt Ciceronis de Thucydide iudicium, Omneis dicendi artificio mea sententia facile uincat: eum oratoribus omnibus, ab illo antepositum esse intelligunt. Quod & falsum est, nec à Cicerone asseueratũ. Antonius enim eo loco historicos græ-

cos tantum inter se, ut quisq; ætate antecessit, comparat, eorumq; eloquentiam, quam cum magnam ad scribendum eos attulisse dicat, sed ad nullum usum fore sem: facile declarat, non de oratoria se, uerùm de historicorum eloquentia dicere. Est enim sua, ut oratorũ sic historicorum eloquentia. Cum igitur Cicero Antoniũ loquentem facit de Thucydidis eloquentia dicendiq; artificio, historicorum: cũ in Oratore ad Brutum adimit ei orationem quæ ad oratorem transferri possit, oratorum eloquentiam intelligit. Quanquam non hoc dicit omnino, quod eum uis dicere. Scribit enim hæc de illo: Thucydides autem res gestas & bella narrat, & prælia, grauiter sanè & probè, sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum & publicum, nisi forte hoc quod est scriptum apud eum de illius concionibus, te hoc ut diceres impulit: Illæ ipsæ conciones ita multas habent obscuras abditásq; sententias, uix ut intelligantur, quod est in oratione ciuili uitium uel maximũ. Quod autem de historicorum oratorumq; eloquentia dixi, id confirmat ipse his uerbis deinceps de Thucydide in hoc oratore loquens: itaq; nunq; est numeratus orator. Prætermissis hoc loco his omnibus quæ de crimine digressionis toties repetis, præterita etiam reprehensione qua te Brute noster, id est ferox, & quasi Timon alter humanitatem omnem odisse declaras: ad grauiora ueniamus, uideamúsq; quid in illa partitione qua uidenda tria esse dicit oratori Cicero, uitij inesse confirmes. Primum partem aliquam necessariam prætermissam esse in partiendo dicis: deinde ea oratori à Cicerone subiecta, quæ sint propria

cæterarum artiũ. De prætermissione quidem tibi ipse Cicero respondet his uerbis: Et quoniam cœpi iam cumulatius hoc munus augere, q̃ à te postulatum est: tibi enim tãtum de orationis genere quærenti, respõdi etiã breuiter de inueniendo & collocando: ne nunc quidẽ solum de orationis modo dicam, sed etiã de actionis, ita prætermissa pars nulla erit, quandoquidem de memoria mhil est hoc loco dicendum, quæ communis est multarum artium. Cur tu memoriæ à Cicerone locum nullum relictum esse dicis? An nõ eam complectitur? Verba tua ipse proferã, ne alijs malitiose aliquid aut addidisse aut detraxisse uidear: Nos igitur, inquis, ad eloquentiæ partes quæ dicuntur adducis, in elocutione sola cæteris partibus repudiatis oratoris propriã laudem positam esse dicis. Sed has tamen partes nouo quodã & inusitato modo partiris, ut incredubili obliuione partem eam omiseris quæ nisi esset, nihil meminisse possimus. Memoriæ enim nullum locum relinquis, magno quidem errore in partiendo, ut partes quæ sunt non omnẽ rei diuisæ uim complectantur. Hæc quidem tua coniuncta cum superioribus Ciceronis perspicuè te & mendacij, & uanitatis, & malitiæ coarguunt. At commumem eam ab illo dici multarum artium, hoc reprehendo. Quæ est igitur illa tua prætermissionis reprehensio? An à falso crimine tibi duœnda uidetur accusatio? Reliqua uerò non minus falsa est. Prætermisit enim memoriam Cicero q, ut ipse ait, communis est multarum artium. Inuentionem etiã ait cõmunẽ esse penè cum multis, commune iudiciũ. Sed tamen quam hoc loco inuentionem intelligat, exponit

paulo pôſt his uerbis: Nouerit igitur hic quidem orator, quem ſummum eſſe uolumus, argumentorũ & rationum locos. Quæ quidem inuentio non tam multarũ communis eſt artium, quàm memoria. Itaq; hæc ipſa locorum inuentio à Cicerone hoc libro retinetur ac cõmemoratur, memoria prætermittitur, quæ tamen pars in libris de Oratore ad Quintum fratrem tractatur diligẽtiſſime. Sed maiora ſunt, inquis, in hac partitione uulnera. Operæpretium eſt quæ iſte dicat maiora uulnera cognoſcere. Tria, inquit, uidenda eſſe oratori dicis (ad Ciceronem enim orationem cõuertit) quid, quo loco, quomodo dicat. Hæc Ciceronis, fateor, partitio eſt. In qua quænam ſunt iſta maiora uulnera? Tria hæc dicit Cicero oratori uidenda eſſe, at unum inquis uidendum eſſe contendo, uidelicet quemadmodum dicat. Atque hanc tuam ſententiam ita confirmare conaris, ut eandem eſſe Ciceronis nonnullis locis dicas, ut ſcilicet parum ſibi ipſe conſtare, à ſeq; diſcrepare uideatur. Inuentio, inquis, & diſpoſitio dialecticæ propriæ partes ſunt. Hoc Ciceronẽ uolo multis locis tradere ac docere. Quid tum? An minus propterea oratori uidẽdum erit quid dicat, & quo loco? Arithmetica numeros tractat, in eisq; ac eorum ratione tota uerſatur, Geometria de magnitudinibus diſſerit: num propterea ſi aut Muſicus de numeris eorumq; proportionibus, aut Aſtrologus de magnitudine ſolis, lunæ, ſtellarum diſputet, aliquid officio ſuo alienum faciat? Certe non. Cur ergo tam iniquus eris, ut ſi de inuentione rerum, earumq; collocatione, aut potius de inuentione locorum & argumentorum eorumque diſpoſitione cogitandum

esse oratori Cicero dicat, hoc in eo tu reprehendas, quod in alijs artibus culpandum neges? Vide autem quantum inter meam, id est, Ciceronis & tuam intersit opinionem. Tu unum hoc oratori uidendum esse contendis, quemadmodum dicat. Ego tria illa necessaria esse statuo & iudico. Si enim illud unum uidere debet: quid dicat non habebit, nec quo loco. Quæ duo, si naturæ ordine priora sunt, adeoq; necessaria, ut sine ijs, nec tertium illud, quod unum necessarium esse uis, extare ullo modo possit, nec orator tueri & exequi munus suum: uide qualis sit reprehensio tua. At hæc duo à dialecticis petet orator. Petit etiam, quemadmodum dicat. Neque enim plus inter dialecticorum & oratorum orationem, q̃ inter utrorumq; dispositionem interest. Pressior est & quasi astrictior sermo philosophorum, pressior etiam collocatio. Aptè utriq; & ornatè & numerosè debent dicere, quæ tria sunt lumina orationis. Quanquam hæc tu à dialecticis ita petenda censes, quasi non sit alia horum, alia oratoris & inuentio & collocatio. Inuentio quidem fortassis eadẽ est, collocatio eadem esse nullo modo potest. Quid enim orator à dialectico differet si ratiocinationes ad tres partes quibus cõstant, semper astringat, propositionẽq; primo loco ponat semper, deinde sumptionem, postremo conclusionem? aut quid magnum suoq; nomine dignum præstabit? Quid q̃ isto pacto tu qui hæc portenta Brutum illum uis dicere & obijcere Ciceroni, cogeris omniũ ueterum partitiones improbare? Quis enim ueterum non ita in partes causam tribuerit, eã ut ex principio, narratione, confirmatione, & peroratione con-

ſtare traderet! At tua iſta reprehenſio uix ulli locũ ali-
quem relinquit. Narrant enim hiſtorici, confirmant dia
lectici quod propoſuerunt, omnes qui libros ſcribunt,
aut aliquid impetrare uolunt, principio utuntur, rem
confirmant, poſtremo etiam concludunt. An nõ iſto pa-
cto ars omnis tolletur, natura ſola retinebitur, maiorq;
perturbatio & confuſio ſequetur, quàm quæ à te pro-
pter hanc quam omnes tenent rationem artium, indu-
citur! Nouam tu quidem artem rhetoricam ſcribas &
tradas, cenſeo, ab omnium qui unquam ſcripſerunt in-
ſtitutis præceptiſq; abhorrentem, quemadmodũ qua-
driẽnio proximo nouam Dialecticam & ſcripſiſti &
tradidiſti. Quod cum perfeceris, auctor tibi ſum (ſi for-
tè conſilijs meis parêre uis) ut idem in cæteris artibus
efficias, ut unum te omnes omnium artium homines ſe-
quantur, colant, uenerentur ut omnium diſciplinarum
parentẽ & principem: cæteros, ut Ciceronem & De-
moſthenem, Hippocratem & Galenum, Platonem &
Ariſtotelem, Euclidem, Aratum, Hyginiũ, Archimedẽ,
Nicomachum ut idiotas repudient, oderint, deteſten-
tur. Hæc quidem portenta uerum in Brutum illum non
conueniunt, tua ſunt, tua inquam ſunt Rame, qui eo-
dem modo in Ariſtotelem criminoſum eſſe uis, quòd
nomen & uerbum & orationem in libro de inter-
pretatione definierit, quod eſt Grammatici proprium.
Cui loco quoniam priore oratione earum quas pro
Ariſtotele contra te ſcripſi reſpondi, non eſt quòd hic
plura dicam. Iam omnes intelligere arbitror quæ ſit
frõs orationis tuæ. Cum enim maiora uulnera in par-
titione quam tractamus ineſſe dixiſſes, hoc unũ quod

à nobis curatum est, indicauisti. Nec uerò te pudet Ciceronem inconstãtiæ crimine damnare. Quod duobus modis eadem ferè pagina facere conaris, sed temerè atque incõsyderatè. Neq; enim si eadẽ oratione hæc duo, inuenire & iudicare non tam insignia ad maximam laudem dixit quàm necessaria: & paulò post, magna illa esse, & tanquam animi instar in corpore: propterea hæc ipsa tum præstare elocutioni ait, tum non præstare. Quod enim ait, esse tanquam animi instar in corpore, aliter atque tu interpretare intelligendum est. Vult enim his uerbis Cicero significare, ut animus per totum corpus fusus est, sic hæc duo latè patêre fusaq; esse per totum quasi corpus eloquentiæ. Omnia enim primum inuenire orator debet, tum res, tum uerba: deinde quid, quo loco, & quomodo dicat iudicare, quæ duo & in elocutione, & in pronunciatione, & in memoria dominantur. Eodemq; modo non si oratori inuentionem & dispositionem tribuit, easq; illius proprias esse negat, idcirco eas oratori tũ attribuit ut uas, tum admit. Tribuit enim ut communes, non ut proprias. Ab hac partitione ad alterã reprehẽdẽdam delaberis. Verba Ciceronis subiiciam quò facilius refellare. Nam quoniam, inquit, quicquid est, quod in controuersia aut in contentione uersetur, in eo aut sit ne, aut quid sit, aut quale sit quæritur: sit ne, signis: quid sit, definitionibus: quale sit, recti prauiq; partibus. Tu ut hanc partitionem reprehendas tanquam imperfectã, & mutilem: quæstiones has ponis, Vbi est? quando ueniet? quo pergit? quot partes habet? ex quo constat? quamobrem id est? quæ illis tribus non continentur. In

quo illud à te quæro, nũ ueteres qui maximè probati sunt status alios constituerint, quàm eos qui ex his defluxerint? Si non alios, non ad Cic. magis quàm ad omnes hæc reprehensio pertinet. Quod cum ita sit, Brutum illum magnum uirum uehementer accusas, quem uelis hæc in Cicerone reprehendere, quæ omnes tenuerint & comprobarint. Si alios nonnulli finxerunt, eosq; ad tres superiores, teste etiã Quintiliano aut reuocauerunt ipsi, aut nos reuocare possumus: cur rides quod Quintilianus cæteriq; probauerunt? Nisi forte cæterorum inuenta tibi displicent, tua unius tibi placent, & uerò tibi uni placent. At inutilis est, ut sit plena & uera, hæc partitio. Hoc quemadmodum docebas consyderemus. Quid si, inquis, & hæ tres quæstiones, & omnes aliæ prorsus ijsdem argumentis tractentur? non inutilis erit ista diuisio? Hac tu posita quæstione, quasi hoc tibi Cicero daturus esset statim assumis. Illud autem uel tuo ipsius testimonio facile probabitur, & concludis, hoc igitur fateare necesse est. Quis uerò hoc tibi dabit Rame, nisi forte ignarus, ut si quæstiones ijsdem locis tractentur, inutilis sit quæstionum partitio? Non Aristoteles quidem certe præstanti uir & ingenio & doctrina: Is enim in Topicis cum quicquid quæratur, id aut ad generis, aut ad definitionis, aut ad proprij, aut ad accidentis quæstionem pertinere statuat: tamen ad horum quatuor quæstiones locos omnes à secundo libro ad septimum accommodat. Quis autem præter unum te ac paucos tui similes, illam eius diuisionem nõ maxime probauit? Nec uerò satis est tibi hanc Ciceronis ut mutilem partitionem reprehendere, sed falsò

eius dicta interpretaris. Necessarijs tu rerum notis, quas tamen non necessarias uocat sed proprias, eũ ais omnia argumẽtorũ genera complecti. Quod falsum est. Definit enim in partitionibus ex quibus hæc te sumpsisse dicis, ꝓpriæ notæ argumentũ hoc modo: Propriæ autẽ notæ argumentũ, quod nunq̃ aliter fit, certumq; declarat, ut fumus ignem. Hoc autẽ non complecti omnia argumẽtorũ genera, hinc intelligitur, ꝙ ipse Cicero coniecturam totam ducit paulo antè positam esse in uerisimilibus, & in propriis rerum notis. Non igitur uerbo illo omnia, ut ius, argumentorũ genera Cicero cõplectitur. Atq; hic tuus error ex ignoratiõe ortus est, τεκμήριον enim Grecè uocat Cicero propriæ notæ argumentum, & εἰκὸς uerisimile: quæ duo argumẽtorum genera quæ dũtaxat ex signis sumuntur, Aristotelis, quem Cicero & Quintilianus secuti sunt, in primo de arte Rhetorica sententia cõtinet. Eodem modo cum de definitionis locis disseris, tum & peccas, & Ciceroni id quod falsum est tribuis. Sũt enim hæc uerba tua, At definitio, ut in iisdẽ partitionibus auctor es, ex omnibus argumẽtis exponitur: quæ ut falsa esse omnes sciãt, Ciceronis etiã uerba proferã. C. F. Quid? definitionis quæ ratio est & quæ uia? C. P. Nõ dubiũ est id quidẽ, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadã, aut etiã cõmuniũ frequentia, quibus ꝓpriũ quid sit eluceat. Sed quoniã de propriis oritur pleriq; magna dissensio, definiẽ dũ est sæpe ex cõtrariis, sæpe etiã ex dissimilibus, sæpe ex paribus. Quãobrẽ descriptiones quoq; sunt in hoc genere sæpe aptæ, & enumeratio cõsequẽtiũ, imprimisq; cõmouet explicatio uocabuli ac nominis. Hæc sunt

omnia quæ in partitionibus Cicero & de ratione definiẽdi, & de locis qui ad definitionis quæstionẽ accommodati sunt, disserit. Paucos ille locos eo libro definitionis attribuit, tu eum omnia argumẽtorũ genera definitione cõplecti asseris. Reprehẽdis etiã ea omnia quæ ille de auocãda cõtrouersia à priuata & singulari ad uniuersi generis quæstionẽ præcipit, nec eius de hac re sententiã in hoc oratore explicatã refellis, sed quã in secũdo de oratore ad Q. fratrẽ exposuit, ut nõ hũc solum eius librum, sed cæteros quoq; tibi ad reprehendendũ proposuisse uideare. Sed quæ sit hæc reprehensio tua uideamus. Negat Cic. quicq; ad oratoris locos reorum personam pertinere, idq; in triplici quæstionum genere uerum esse docet, propterea q; ex intentione & depulsione in iudicium ueniat, num pœna aut præmio affici̇ẽdus sit is qui &c. non sit ne afficiendus Opimius, aut Decius, aut aliquis singulorum. In ijs etiam causis, quæ coniectura nituntur, hoc idem perspicitur. Quod ibi Cic. longa & suaui oratione demonstrat, tu contrà sentis, eumq; ut refellas urges hac interrogatione: Nã cum quæritur, An Opimius iure Gracchum necauerit, nõnne & personæ & cædis tum facta, tum causas, tum reliqua argumentorum genera ex inuentionis locis requiro? Ex qua id quod uis effici putas. Sed uehementer erras. Primũ enim si ex personis argumenta ducãtur, quot personæ erunt, tot etiam causæ, ex quo quantam confusionẽ inducas tu qui confusionẽ in Cic. reprehẽdis, uides. Deinde quoniã Gracchus seditiosus ciuis erat, Gracchi persona prætermissa, uniuerse de seditiosis

de hypothesi ab thesim auertenda 348

ãúibus quærendum est. Quod est reuocare ad uniuersi generis uim, singularem quæstionem. Quanquam hæc Cicero non omnino improbat sed hoc tantum uult, non in personis & certis temporibus sæpe ac diu commorari, sed si fieri possit, ad uniuersum genus causam controuersiamq; reuocari. Hoc indicãt eius illa uerba quæ tu profers, sed non omnia. Nam quoniam quicquid est, quod in controuersia, aut in contentione uersetur, in eo aut sitne, aut quid sit, aut quale sit quæritur: sitne signis: quid sit, definitionibus: quale sit, recti prauiq; partibus: quibus ut uti possit orator nõ ille uulgaris, sed hic excellens, à propriis personis & temporibus semper si potest, auocat controuersiam. Latius enim de genere, quàm de parte disceptare licet: ut quod in uniuersõ sit probatum, id in parte non sit probari necesse. Atque hæc quidem ille, tu uerô Rame, cur his quæ eo libro quem proprie reprehendendum refellendumq; suscepisti continentur, prætermissis, te ad libros de oratore ad Quintum fratrem refutandos, contulisti? Neque enim hic dicit quod eum uis dicere, oratorem semper si possit controuersiam à propriis personis & temporibus auocare oportere, sed illum solum quem quærit excellentem atque perfectum. Nam uulgarem ab illis non uult abhorrere. Quinetiam excellentis illius esse interdum in illius personis consistere confirmat, cum ait, si potest: ex quo intelligitur, illũ si non possit auocare, tamen nomen oratoris obtinere, quod tua ratione tollitur. Duo deinceps reprehendis, unum q argumentorum genera, Cicero locos nominauit, alterum q monet ut discat orator, unde emanant communes loci: prius

de Locis argumentorum

illud falsum est, neque enim argumentorum genera, locos Cic. uocat, sed Aristotelem secutus, quasi argumentorum notas. Idemq; inquit, locos (sic enim appellat quasi argumentorum notas) tradidit, unde omnis in utrãq; partem traheretur oratio. Aliud est enim argumentum, aliud locus, uel ipso Cicerone in Topicis iudice. Itaq; licet definire, locum esse argumenti sedem: Argumentum autẽ rationem quæ rei dubiæ faciat fidem. Reprehendis etiam hoc loco Aristolem, q̃ artem inueniendi εὑρετικὴν appellauerit, non quidem sine ratione, ut ipse fateris, sed tamen ratione, ut ais, prorsus inutili. Quæ est tandẽ illius inutilis rationis probatio? Omnes enim artes docẽt inuenire, ut medicina salubria & insalubria. Hui ad dialecticã retrudendus es. Quoties quæso Aristoteles in Topicis, quoties in Reprehensionibus sophistarũ, quoties in Posterioribus analyticis docet dialecticen non habere certam materiam quã tractet, & in qua uersetur, sed uiã in cæteras artes ferentem tradere, omniumq; artium suos esse locos & communes & proprios? Sed operæpreciũ est, quam hic correctionẽ corrector aut corruptor potius, adhibeat cognoscere. Quanto igitur, inquit, simplicius erat inuentionem, si hoc nomine priorẽ dialecticæ partem placet appellare, definire artem earum rerum, quæ dici de quæstione possent? Quæstionis nomen quàm latè pateat quis ignorat? Iste cum cerneret, ut ait, Aristotelem uitiosè definientem quid sit inuentio dialecticæ, quòd eam faceret ad cæteras quoque artes pertinere: nõ hoc quod uitium putabat, correxit, aut sustulit, sed auxit. Estne hoc corrigere an corrumpere, corrector noster,

in idem uitium aut errorem incidere, quem corrigere decreueris? Nam quod ais non necesse fuisse Ciceronem, cum de locis inuentionis monuisset, præterea admonere oratorem ut uideat unde communes loci emanant, propterea quòd disputationes latæ & paradoxa quæ ille communes locos uocet ex communibus inuentionis argumentis locisq; promantur: in eo te ignorare locorum communium rationem confiteris. Neque enim ex iisdem inuentionis locis, ut ius, emanant. Cum enim in parricidam, aut proditorem, aut seditiosum ciuem dicendum est, aut testibus credi non oportere docendum est, omnis illa oratio in utijs posita est, ex ijsq; ducitur. Præterea cum in peroratione commouetur ad misericordiam iudex conquerendo, locis communibus uti licet: ijs ex quibus hos communes manare dicis, nõ licet. Alioqui confirmationis & perorationis quædã confusio consequetur. Horum quidem tria genera Cicero, in secundo de oratore ad Q. fratrem libro posuit, quorum tu tertij tantum rationem uideris habuisse: hoc nunquam Brutus ille fecisset. Sequitur alia reprehensio, in qua ridiculumne se iste an ignarum magis præbuerit nescio. Cicero quidem cum de argumentis disseruit, hoc addit de delectu habendo eorum quæ inuenta sint: Nec uerò utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet & seliget. Non enim semper, nec in omnibus causis ex iisdem eadem argumentorum momenta sunt. Iudicium ergo adhibebit, nec inueniet solum quid dicat, sed etiam expendet. Non est id quidem dubium, quin Cicero his in uerbis iudicium appellet

delectum &, ut ita dicã, examen quoddam, quo ponderari uult ea argumenta quæ inuenta sint, ut leuia, & causis aliena, & inutilia relinquantur, sumanturq; contraria. Iste autem ridiculè modô ad alteram partem dialecticæ & Rhetoricæ, quæ in iudicio posita est, iudicii uerbum hoc loco traducit, modo ad rem aliam transfert, itaq; Cicæronem tractat, ut puerum & infantem. Inuentioni, inquit, iudicium subiicis. Non subiicit. Si enim subiicit, non tria facit, ut uis, inuentionem, iudicium, dispositionem. Quod enim alteri subest, eius est pars quædam. Sophista es Rame, qui iudicii uerbum ambiguum uno modo uis accipi. Quæris enim, Iudicium quamobrem nunc à dispositione separatur? Separatur, Rame, propterea quòd alia est hoc loco, alia superiore iudicii significatio. Nec sobrii quidem, nec sani uidetur hæc quæ deinceps apud istum est oratio. Quærit à Cicærone, respondet pro Cicærone, quod nunquam Cicæroni in mentem uenisset respondere. Si pro Cicærone respondes, iudicium eo loco quem reprehendis, communem quandam prudentiam esse in delectu bonorum & malorum, adde etiam utilium & inutilium, ut sit plena definitio, cur hoc quæris? Itáne uerò iudicii doctrinam nullam dicis, & Stoicos opponis, qui in altera dialecticæ parte quam iudicii nomine appellauerunt, elaborauerunt? Consentanea sanè oratio est cum de iudicio quod in delectu quodam positum sit loquaris, sententiam ad uim qua altera pars est dialecticæ accommodare, & quod uel te iudice

& interprete Cicero in hoc uerbo intelligat, id negligere, & alteram obiicere eius uerbi significationem. Sophistarum iste est mos Brute, qui ueritatem obscurare & tollere uolunt, non eorum qui inuenire. Acutiorem dicis esse in populi causis Ciceronem quoties testis producatur, quàm in tradendis artibus, quarum doctorẽ quemlibet temerè & inconsyderatè sequatur. Acutus es profecto in deligendis doctoribus, qui adhuc neminem probaueris. Cum enim Aristotelem & Ciceronẽ ut ignaros idiotasq; repudies, & improbes, quem te probare credemus? quem tibi placere? Sæpe hoc tu Ciceroni ut uitium obiicis, q̃ idem sæpe dicat & iteret: cur hoc tu, si uitiosum est, non fugis? Memoriam Cicero prætermittit, q̃ ut ait, communis sit multarũ artium. Hoc tu in eo, & iam anteà reprehendisti, & nunc pluribus uerbis reprehendis, quod est sanè acuti hominis proprium. Actio & elocutio siue pronunciatio deinceps sequuntur, in quibus modus dicendi uersatur. Hoc tu probas, improbas actionis ut communis reiectionẽ. Hanc enim Cicero communẽ uult esse, tu oratoris propriam. Cur igitur eius rationem tibi ad refellẽdum minime proposuisti? Ea Cicero oratoris propria esse uult, unde appellatus est. Quod docet his uerbis, quæ tu commodo tuo prætersti. Non enim inuentor, aut compositor, aut actor, hæc complexus est omnia, sed & græcè ab eloquendo rhetor, & Latinè eloquens dictus est. Cæterarum enim rerum quæ sunt in oratore partem aliquam sibi quisque uendicat, dicendi autem, id est, eloquendi maxima uis soli huic conceditur. Hac tu il-

lius prætermissa ratione, actionem oratoris propriam esse docere conaris. Quæ per infirma aut nulla est potius probatio. Hoc enim artis est, aut naturæ potius, alienis refutatis, sua probare. Tu qui sua omnibus reddi uis, cur histriones de possessione deturbas? Nihil est tam proprium cuiusque artis, quàm unde nomen habet. Histrio autem cum ab agendo actor dictus sit, cur eum expilas, oratoremq; in eius fundum immittis? Si ei actionem adimas & detrahas, nudum eum relinques, non minus quàm si iis qui Arithmetica nominantur numerorum, aut astrologis stellarum rationem auferas. Vide autem quæ sit tua conclusiuncula: Ego uerò, inquis, hæc eò pertinere non statuo, ut quia histriones in pronunciandi arte elaborarunt, & ab iis oratores quidam adiuti sunt, idcirco ars pronunciandi non sit oratorum, sed histrionum propria. Hæc enim tua est, non Ciceronis, non cæterorum. Ciceronis argumenta dilue, tum aliquid dices. Nunc nihil dicis, cum hoc tantum dicis, has partes duas eloquentiæ proprias esse iudico. Hoc tu ut de actione doceas, quam rationem affers? Quibus argumentis uteris? nullis. Hoc est disciplinam instituere, non aliorum sententiam refellere, quam refellendam susceperis. Artes ex sua natura metiendas esse statuis, nec metiris. Si enim ex natura sua eas metirere, ex proprietate eas, non ex communibus æstimares. Quod ait Cicero, solam elocutionem oratoris esse propriam, cætera in eo latêre, id eatenus probas ut in eo ita latêre, ut animus in corpore, existimentur. Non ita est, hac enim una re, id est, oratione

Elocutio oratoris propria in eo latet.

orator excellit, quemadmodum nomen ipsum indicat. Latère igitur eo loco idem efficit quod non apparere, quod obscurari, & obrui. Adiuuant cætera illa quidem oratorem, eíq; magnam laudem dignitatemq; afferunt, sed tamen hæc quædam adductitia & ascitia bona sunt, illud unum proprium.

De generibus dicendi philosophorum, Sophistarũ, historicorum, & poetarum, quæ Cicero ab oratoris eloquentia seiungit, ab illo dissentis. Hæc enim omnia dicendi genera, tu oratoris propria esse statuis, ille negat esse propter orationis dissimilitudinem & distinctionem. Quam ut docæret, necesse habuit ea quæ sunt inuẽtionis iterare. Quod si tu intellexisses, nunquam hoc in illo reprehendisses. Cum autem hoc aliáq; permulta reprehendis, planum facis quantum te delectet hoc ipsum reprehendere. Atque interea fere Ciceronis uerba pro tuis impudenter longa oratione infercis. Hæc autem omnia quæ de eloquentiæ dissimilitudine Cicero disputat, ita ut uperas, quasi elocutio non in inuentione etiam eluceat. Deinceps ad definitionem quam oratori perfecto statuit, reprehendendam tua delabitur oratio. Sed quo facilius hoc totum quod in ea reprehẽdis, leue falsumq; esse intelligatur, illius definitionem subiiciam. Erit igitur eloquens, (hunc enim auctore Antonio quærimus) is qui in foro causisq; ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Hic tu ut Ciceronem refellas ipsum sibi opponis, eiusq; de ui oratoris sententiam ex alio libro profers, qua statuit oratorem de omni re quæ proposita sit esse dicturum. Hãc

tu ueriorem esse uis. Ego uerò ut tibi pro Cicerone respondeam hoc primum dico, utramque ueram esse, nec Ciceronem inconstantiæ crimine posse damnari. In oratore enim ad Q. fratrem, non ea solum quæ oratoris propria sunt complexus est, sed ea etiã oratori ad dicẽdum subiicit, quæ sint cæterarũ artium propria. Itaq; cum apud illum Crassus uniuersam oratoris uim complexus esset definiendo, correctionem quandam, ueritus aliorum reprehensionem, hanc adhibuit. Sin cuipiam nimis infinitum uidetur, quod ita proposui, quacunque de re, licet hinc quantum cuique uidebitur circuncidat atque amputet, tamen illud tenebo, si quæ cæteris in artibus aut studiis sita sunt, orator ignoret, tantumq; ea teneat quæ sint in disceptationibus aut in usu forensi, tamen his de rebus ipsis si sit ei dicendum, cum cognouerit ab iis qui tenent quæ sint in quaque re multò oratorem melius, quàm ipsos illos quorum eæ sunt artes, esse dicturũ. In hoc autem libro ea tantum hac definitione complectitur, quæ sunt oratoris propria, cum interea, ei quæ propria sunt cæterarum artium minimè detrahit. Nam quarta ferè pagina posteaq; exposuit quibus artibus instructum esse uelit oratorem suum, nec eum dialecticis modò tinctum & imbutum esse, sed omneis philosophiæ locos notatos & tractatos habere oportere, propterea quòd nihil de religione, nihil de morte, nihil de pietate aliisque permultis quæ enumerat, quæ sæpe cadunt in causas, sine ea scientia grauiter, amplè, copioſè dici possit, utitur his uerbis: De materia loquor orationis etiam nunc, non de ipso genere dicendi. Vides Brute noſter,

quæ sit ista tua reprehensio. Longam hic & perdifficilem de Ideis quæstionem disputationemq; inducit, cum earum ratione quæ semper sint definitionem oratoris non ei semper conuenire, quanquam in libro quē edendum curauit scriptum est: Tum autem istud quale est, q definitio tua non semper orationi conueniat? Hoc tamen ei respondeo, ut idea definitionis semper fuit, nec genita est, sic ideam perfecti oratoris semper fuisse. neque enim Cicero oratorem eum definit, aut informat, ut ipse ait, qui aliquando fuit. Paucis ego uerbis semper ea quæ tu longa oratione reprehendis, diluo, ut hoc facile appareat te non ueritate quæ paucis uerbis contenta est, sed uanitate, fuco & maledicendi contradicendiq; studio ductum in hunc locum descendisse. Est etiam aliud quod tu in hac definitione reprehendisti. Inconstantiam enim Ciceroni obijcis, q cum inuentionem oratoris propriam anteà negasset, eam tamen hoc loco primam perfecti oratoris laudem esse ponit, cum ait: Qui ita dicet, ut probet, & quæ sequūtur. Non est hæc inconstantia Brute noster: ut enim supra cum statueret tria oratori uidenda esse, primumq; quid dicat, quod est inuentionis, non negauit omnino id proprium esse eloquentiæ, sed addidit tria illa propria magis esse prudentiæ quàm eloquentiæ: sic hoc loco hæc tria quæ partim sunt inuentionis, non omnino oratoris propria esse statuit. Ponit enim hæc tria officia esse oratoris: quorum cum primum necessitatis esse dicat, facile intelligimus eum de locis argumentisq; præcipere quæ à dialecticis mutuatur orator. Non enim si cuiuspiam aliquod officium est, continuo id eius

proprium esse necesse est. Officium est hominis, ratione uti: ea Deus utitur, ea angeli. Eorum autem trium, nihil magis proprium esse uult oratoris, q̃ flectere. Itaq; paulo antè cum quid interesset inter oratorem & Sophistam diceret, usus est his uerbis: Sed hoc differunt, q̃ cum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius &c. Motum autem quem inuentioni ab illo attribui dicis, in partitionum initio uult esse, principij & perorationis: quæ partes non sunt inuentionis propriæ, sed narratio & confirmatio, quæ ad rem docendam ualent. Quanquam autem omnia inuenienda sunt & res, & uerba: tamen res ad inueniendum, ut ipse ait, pertinẽt, uerba ad loquendum. Quaquidem inuentionis significatione si utare, hoc tibi etiam dabo quod uis, motum inuentionis esse. Sed hoc nihil contra Ciceronem ualet. Inuentionis enim uerbo duobus modis utitur, quorum tu utrumq; confundis. Sequitur ridicula sanè reprehensio, quæ in decori ratione uiq; uersatur. Cicero eloquentiæ uult fundamentum esse sapientiam, quæ quid in omni re deceat uidet ac consyderat. Longa quidem oratione Brutus noster de uerbi huius significatione disputat, nec tandem aliquando uerum inuenit. Audiuit philosophiam sapientiam dici à ueteribus, quærit igitur cum tres eius sint partes, quam potissimum hoc loco sapientiæ partem Cicero intelligat, tandemq; concludit esse dialecticam, quam Cicero hic non intellexerit. O suauem & præclaram disputationem, aut sermocinationem potius cũ subiectione, quæ à uero tota aberrat. Dico nullam harum trium à Cicerone non solum intellectam esse, sed

nec potuisse, nec debuisse intelligi. Quid ergo hoc uerbo intellexit? Virtutem quæ à græcis à sapiendo Φρόνησις dicitur, quam eandem nostri sæpius prudentiam uocant, cuius est, quid in omni uita faciendum non faciendumue sit uidere. Quod cum ex alijs Ciceronis libris intelligi licet, tum uel maximè ex primo de officijs, in quo de hoc decoro loquens, scribit his uerbis: Suum igitur quisq; nosçat ingenium, acrémq; se & uitiorum & bonorum suorum iudicem præbeat, ne scenici plusq; nos uideantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Vides hoc loco decorum ipsum de quo quæritur, prudentiæ attributum. Deinceps eodem loco non prudentes, sed sapientes appellat eos, in quibus hæc insit prudentia. Qui enim uoce freti sunt, Epigonos, Medeamq;: qui gestu, Menalippam, Clytemnestram. Semper Rutilius, quem ego memini, Antiopam: non sæpe Æsopus Aiacem. Ergo histrio hoc uidebit in scena, quod non uidebit sapiens uir in uita? Hoc quidem loco non est dubium, quin sapiens pro prudente ponatur. Quanquam non dubito quin eo in loco de cuius sententia quæritur, sapientiæ uerbum ad eam uirtutem quæ græcè σοφία dicitur accommodari possit. Sed tamen mihi prior intelligentia ad Ciceronis sententiam uerior uidetur. Ex quibus omnibus facile intelligitur id quod dixi hunc à te locum reprehensum esse, q non intelligeres quid esset sapientia. Multa sanè hoc loco prætereo, neq; enim ad omnia respondere institui, neq; uerò sapientem salua opinione respondere posse arbitror, ita ina-

nibus uaniſq; rebus complures pagnas imples. Quæ enim reprehenſio eſt, obijcere Ciceroni ut uitium, q̃ ter iam de dialectica ſermonem intulerit? q̃ oratorem quem quærat, inuenerit, atq; adeo teneat animo & cogitatione? Hinc Zeno & Ariſtoteles reprehenduntur. Zeno Rhetoricam manui porrectæ in digitos, Dialecticam eidem in pugnum contractæ comparabat: q̃ illa latius & copioſius, hæc anguſtius & ieiunius de rebus propoſitis ſolita ſit diſputare. Hoc Brutus noſter improbat aitq; totum ad eos qui illis artibus præduti ſunt, non ad artes ipſas eſſe referendum. Sed uehementer errat, & q̃ dialecticam putat latè uagari, nõ quẽadmodum Zeno intellexit. Itaq; nõ ad Zenonem hæc reprehenſio pertinet, cuius iſte non ſpectarit ſententiã. Quæ eſt igitur Zenonis ſententia? Ait Dialecticam anguſtè ſua tractare, q̃ definitiones ſuas duobus aut tribus uerbis compleat, q̃ argumenta tribus uerbis aſtringat, aliáq; ſua omnia eodẽ modo tractet. Quæ autem eſt Bruti noſtri? Cenſet dialecticã latè uagari, q̃ de rebus omnibus in utrãq; partem diſſerat. Quis negat? Eſt ne hoc reprehendere, quod alius intellexerit, relinquere: quod nõ intellexerit, conarguere? Omnes ferè eius reprehẽſiones eodẽ reuoluũtur. Perobſcurè de Ariſtotele loqueris. Quis enim Ariſtotelis uicinia quã dicis intelligat? Quòd ſi dixiſſes, Dialecticæ & Rhetoricæ quã Ariſtoteles tràdit ſimilitudinẽ, planius locutus eſſes, & ad conſuetudinẽ ſermonis noſtri aptius. Finitimæ autẽ & uicinæ illæ artes cur ab Ariſtotele tradantur nõ exponis, ut eum refellas, credo q̃ id ignores. Si enim ob eam cauſam artem Rhetoricam dialecticæ quaſi ex

altera parte respondere intellexisses, q utráq; de omni re proposita disserat, atq; in rebus omnibus uersetur. Profectò non uetuisses ne illam quam uocas Aristotelis uicinia amaremus. Artem enim Rhetoricam, & Dialecticam paulo ante hunc locum de quauis re disputare, & disserere posuisti. Venio nunc ad crimen huiusmodi, ex quo quius perspicere possit, permulta à te in Ciceronem inquiri, eumq; à te exagitari, ne nihil quod reprehenderes habuisse uiderere. Cicero quidem uult eum qui eloquentiæ laude ducatur, nosse primum uim, naturam, genera uerborum & simplicium & copulatorum. Hoc tu refellis, q nullius esse artis putes singulorum uocabulorum significationes tradere, totumq; hoc consuetudinis, nutricis, auditionis, & lectionis uis esse. Nutrix scilicet te auctore, docebit quid sit principium, quid narratio, quid propositio, quid ratiocinatio: nutrix deniq; omnibus bonis artibus erit instructa & erudita. Et omnium artium homines cum uocabula suæ quisq; artis explicat, non suo officio, sed nutricis funguntur. Cur igitur doctos præceptores adhibemus, si nutrix satis est? aut cur non omnes continuò una cum lacte docti efficiamur? Si hoc nos partim consuetudine assequimur, consuetudo hæc quæ sit nisi doctorũ consensio fingi non potest. Si doctorum, eorum profectò erit qui in suis artibus eruditi sunt. Si grammatica non docet uocabulorum significationes, quis docet quid sit nomen, quid uerbum, quid participium? Nutrix Rami sententia. Si dialectica non eas tradit, quis quid definitio sit, quid diuisio, quid locus, quid argumẽtum? Rursus nutrix. Si deniq; sua cuiusq; artis & propria

uocabula sunt, quis ea melius interpretabitur, q̃ ij qui illis artibus sunt præditi? Nutrix ut ait Ramus. Atq; hæc de singulis uerbis. Copulatas autem orationes ut eas quæ indicant, quæ imperant, quæ optant, docere grammaticorum esse dicis. Quod ex parte quadam uerum est, non in totum. Grammatici enim has tantũ docẽt, ut Latinè, Rhetores autem ut ornatè & aptè: Dialectici uerò ut uerè loquamur, uerumq; à falso internoscere possimus. Quod cuiusq; artis officium est, id ei tribue. tum non sequetur ea in artibus, quam inducis, confusio & perturbatio. Oratorem Cicero Dialectica, philosophia & ea quæ moralis, & ea quæ est de naturæ obscuritate, iure ciuili & historia instructũ sic uult ad causas uenire, earumq; genera primum cognita habere. Hoc Brutus noster inutiliter, & falsò præcipi, anteà se docuisse confirmat. Sed eum memoria fallit, neq; enim uerbum ullum adhuc de causarum generibus, sed tantum de quæstionibus fecit. Itaq; in afferenda eius rei ratione quæstionum modo mentionem facit his uerbis, nihil enim ad usum inuentionis & dispositionis (quæ solæ sunt ad rem disceptandam partes) quæstionum legalium & rationalium genera spectant. Et tamen eo loco paulò antè his uerbis Ciceronẽ alloquitur: Oratorem philosophia, legibus, historijs instructum, ad Rhetoricam de generibus causarum & quæstionum, quod totum & falso, & inutiliter præcipi anteà docui. Si tãtũ de quæstionibus dixisti, falsum est quod ais, hoc totum à te antea reprehensum esse. Verùm, ut hoc tibi demus, quid tibi in mentem uenit artes obscurare & confundere? cum hoc ferè unum

in Cicerone reprehendere uelle uidearis. Nihilne tibi ad usum artis pertinere uidetur, genera causarum & quæstionum penitus comprehensa habere & cognita? Quo tandem pacto usu artis cuiusquam ualere potes, nisi eam artem cognoueris? Ars porrò quo pacto tradi, discì teneriq; potest, nisi genera rerum in partes tribuas, tributa definias, definitione explicatas ad id quod quæritur accommodes? Satis est, inquis, id quod agitur per se spectari an legalis, an rationalis appelletur ea quæstio, nihil ad usum artis. Si satis sit quæstionem & rem propositam per se spectari, nec necesse sit aut utile eam in partes tribui, quo tandem pacto locos ad quæstionem accommodabis? Sunt enim alij ad alias aptiores, & præcepta dãtur qui ad quãq; sint accommodati maximè. Si tibi omnes assentiri uelint & credere, nunquam idem bis dicamus: est enim hoc te auctore uitiosissimum, præsertim si quid scribẽdum est. Iam quarto loco Ciceroni hoc ut uitium obiecisti, quòd locos inculcauerit. Sed si mentionem eorum non semper eodem modo ab illo factam esse animaduertisses, profectò te ipse cohibuisses. Hoc quidem loco eos diuidit, quod antè nunq̃ fecerat. Traditi sunt inquit, è quibus ea. i. argumenta ducantur, duplices loci, uni è rebus ipsis, alteri assumpti. Quàm uerò egregia illa tua reprehẽsio est? in qua per ridiculum elegisti ex hoc uno Cic. libro omneis locos quibus ille confirmat non hoc sibi propositum fuisse ut præcepta ulla traderet. Si hac excusatione uteretur, quòd ea facultate præditus non esset, ut non noluisse quidem, sed non potuisse uideretur: aliquod esset, aut magnum po-

Quarto loco inculcauerit a Cicerone in libro primo 1583.

tius hoc crimen. Nunc cum alijs hoc libris scienter cumulatèq; præstiterit, rogatuq; Bruti de perfecto oratore sententiam mentemq; suam explicauerit, nec præcepta eum tradere fuit necesse, & hoc tuum crimen hærere non potest. Quanquam præcepta quædam strictum admiscuit interdum, idq; fecit non necessitate instituti sermonis, sed ne hæc omnia quæ artis sunt, contempsisse uideretur. Itáne uerò licet ei qui præcepta non det, conturbare omnia, comminisci, fallere, imponere? aut si hæc faciat nihil ad rem pertinebit? Sed ad alia pergamus. Hoc tu loco reprehendis in Cice. quod ipse non dixit. Cum enim ἠθικὸν & παθητικὸν θέσιν & αὔξησιν admirabilem eloquentiam facere ponit, nihil de harum partiũ inuentione tradit. Tu uerò de earũ inuentione multũ ab illo dissentire te dicis. Quorsũ illa tua spectat oratio? aut quæ est cõsentanea, & ad Cic. sententiã refellendam accõmodata? Ambitionis eũ & accusas & dãnas, q laudes suas ipse prædicet, cõmemorétq; eloquẽtiã suã, qua deterriti aduersarij Hortẽsius, Catilina, & Curio pater, interdũ cõtradicere nec ausi sũt nec uerò potuerũt. In quo hoc à te primũ quæro, cur ea prætermiseris quæ huius loci molestiã & inuidiã si nõ tollere, at certe imminuere possunt? Hæc tu quoniã inuidiæ augendæ causa nõ dixisti, ego eius minuẽdæ, aut tollẽdæ potius gratia proferã. Quo, inquit, genere nos mediocres, aut multò etiã minus sed magno semper usi impetu, sæpe aduersarios de statu omni deiecimus, & quæ sequuntur. Se mediocrẽ esse aut multo etiam minus dixit, quod est demissi animi, nec multum sibi sumentis & arrogantis. Deinde hoc etiam quæro

Glossationes Ciceronis 386

num uitiosum putes & criminosum, in eum præsertim qui ad Brutum.i. discipulum de oratore sententiã suam illius rogatu scribat, ea de se dicere quæ illum ad eloquentiæ studium hortari & incitare possint, orationésq; suas indicare quibus eò possit plus adiuuari, quò sæpius & diutius eas ille in manibus teneat? Neq; enim unquam ei hæc ille, quæ tu hoc tempore obijcere cogitauit, nec uerò unq̃ Cicero hæc de ui eloquentiæ suæ si falsa essent, scriberet, præsertim cum tot essent Romæ qui ipsum si mentitus esset, refellere potuissent. Neq; uerò arrogantiæ crimen hic consistere uoluisti: conducis enim unum in locum ea omnia quæ de suis orationibus dicit, ex iisq; uis omnes intelligere, illã exemplorum prolationem ab eo adhibitam fuisse, ut omnibus persuaderet eum se esse oratorem quem ipse hoc sermone quæreret: in quo clamare libet: O cæca inuidia, quæ seclusis bonis mala tantum enumeras, falsasq; ueris semper aspergis. Hoc eum tu de se uis dicere: Nulla est in ullo genere laus oratoris, cuius non sit in nostris orationibus perfectio. Ego uerba illius proferam, quò facilius omnes quàm tuum istud os impudens sit, intellizant. Nulla est enim, inquit, ullo in genere uis oratoris, cuius in nostris orationibus non sit aliqua si non perfectio, at conatus tamen atq; adumbratio. Dicit ille conatum & adumbrationem, tu perfectionem eum confirmas dicere, quod negat. Quid autem inter hæc duo intersit, omnes sciunt, qui quidem quantum differant conari & perficere explicare possunt. Atqui paulò post, imò continuò q̃ longe absit ab eo, ut hanc sibi laudem uendicet, exponit his uerbis: Non assequimur,

at quid deceat uidemus. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus, in quo tantum abest ut nostra miremur, ut usq; eò difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes, qui quanq̃ unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas, ita sunt auidæ & capaces, & semper aliquid immensum infinitumq; desyderant. Deinceps se ita cum Demosthene comparat, ut maximus hic, ipse uix mediocris fuisse uideatur, quæ eum oratio quoniam ab illa arrogantiæ suspicione liberat, proferenda est. Sed tamen, inquit, quoniam & hunc tu oratorem cum eius studiosissimo Pammene, cum esses Athenis, totum diligentissimè cognouisti (neq; eum dimittis ê manibus, & tamen nostra etiam lectitas) uides profecto illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos uelle quocunq; modo causa postulet, dicere: & quæ sequuntur. An non hæc oratio facilè declarat nihil minus eum quàm de principatu cogitasse? Quæ si hãc suspicionem falsamq; opinionem quam de ipso alijs affers non potest tollere funditus, ac delere, at illa certè quæ initio libri scripta est, ut mihi quidem uidetur, poterit: Sed ego idem, qui illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim latinis, uel ut hortarer alios, uel q̃ amarem meos, recordor longè omnibus unum anteferre Demosthenem, qui uim accommodarit ad eam quam sentiam eloquentiam, non ad eam quam in aliquo ipse cognouerim. Hoc nec grauior extitit quisq̃, nec callidior, nec temperatior, & quæ sequuntur. Ego multa præterea ad tollendam istam arrogantiæ suspicionẽ afferrem, nisi hæc tam multa tamq; firma testimonia

esse iudicarem, ut nihil omnino in Cicerone hæsisse uideatur. Ab arrogantiæ crimine, ad officij prætermissionem, inconstantiæ crimen tua delapsa oratio est. Tropus ab eo nullus definitus est. Fateor, neq; enim hoc fuscæperat. Definire enim rem docentis est. At eloquentem docere se uelle negat, sed tantum probare. Quanquam genera ipsa, & partes definitione explicauit. Nam & translata quæ sunt, & immutata exposuit, & quid sit metonymia, quid abusio, quid allegoria, quod tu & intelligis & confiteris, sed tanta es maledicendi libidine, ut quod primum negas omnino, id deinde cum hac adiunctione, nisi forte, concedas. Sed uerba tua subijcã est melius, quò facilius & error tuus, & ignoratio intelligatur: Tropum nusquam definis. De generibus troporum unicam metaphoram attingis, nisi forte de superioribus metonymiã, abusionẽ, καλλιγορίαν placet intelligi. Negas eum tropum ullum definire, at definit iam ut dixi, quid sit metonymia, quid abusio, quid allegoria. De generibus troporum unicam, ut ais, metaphoram attingit. Concedo eo quidem loco quem consyderas, cuius hæc uerba sunt: Ex omniq; genere frequentissimæ translationes erunt, ꝙ eæ propter similitudinem transferunt animos & referũt ac mouent huc & illuc: qui motus cogitationis celeriter agitatus per se ipse delectat. Hoc inquam in loco translationis nomine eam unam quam metaphoram græci appellant, intelligit. Nec te tua illa adiunctio, nisi fortè, adiuuat. Verba enim hæc quæ continenter sunt apud illum, tuam ignorationem declarant, Et reliqua ex collocatione uerborum quæ sumuntur quasi lumina magnum afferunt or-

Τροπος ἐστὶ λόγος

natum orationi. Nam cum ἀλληγορία ex collocatione modo uerborum sumatur, non debuit abs te modus ille metaphoræ nomine comprehendi, quasi hoc Cicero dixerit, qui cum translationes tantum dixisset, reliquæ ex collocatione uerborum sumi posuit. Quæ autem sint illa in tertio de oratore ad Q. fratrem libro exponit, atq; in ijs allegoriam numerat. Atq; hic unus est error tuus, ne dicam ignoratio. Alterum multo & grauiorẽ & turpiorẽ accipe. Ciceronẽ dicis ita ornatum orationis partiri, & in oratore ad Brutũ, & in alijs libris, ut sit in singulis uerbis, & coniũctis: in singulis propria sint, nouata, translata: in collocatis autem sit figura & numerus. Hoc postremum nego Ciceronem dicere. Hoc ut doceam, uerba Ciceronis quæ ad hunc locum pertinent, proferã, ac primũ ex tertio de oratore ad Q. fratrem libro: Omnis igitur, inquit, oratio conficitur ex uerbis, quorum primum nobis ratio simpliciter uidenda est, deinde coniũctè. Nã est quidam ornatus orationis qui ex singulis uerbis est, alius qui ex continuatis coniunctisq; constat. Altera ferè pagina: Sequitur, inquit, continuatio uerborum, quæ duas res maximè, collocationẽ primum, deinde modum quendã formamq; desyderat. Collocationis est componere, & struere uerba sic ut néue asper eorum cõcursus, néue hiulcus sit, sed quodam modo coagmentatus & læuis. Nihil tu Brute noster, de hac collocatione in qua partim coniunctorũ uerborũ ornatum esse uult, dicis, & tamen eum dicis collocatorũ uerborum ornatũ in figura & numero in omnibus libris ponere. Si enim hic liber eius est, & in hoc præterea cõpositionẽ in coniũctorũ uerba-

rum ornatu numerat, non es complexus omnia. Quinetiã in partitionibus aliter ac tu ais eum facere, coniũctorum uerborum ornatum explicat. Numeri, inquit, quidam sunt in coniunctione seruandi, consecutióq; uerborum. Consecutionis mentionem nullam facis. Mihi quidem illud ualde mirum uideri solet, q̃ cum diligenter in Cicæronem inquisieris, pugnantia hæc quæ pugnare inter se uidentur adeò non animaduerteris, ea ut sibi constare confirmes. Sed ut hæc tibi demus; quæ tandem ignoratio te impulit, ut Cicæronem superioris partitionis immemorem esse dicæres, q̃ tropos etiam omneis præter metaphoram in collocatis uerbis numerauerit? Non est enim hæc obliuio Cicer. sed tua ignoratio. Is enim tua etiam confessione collocatorum uerborum ornatum, in figura & numero ponit: troporum autem quos modos dicit, nullus in his duobus, figura & numero habetur: nullum igitur tropum ad cõiunctorum uerborum ornatum, tua etiam confessione accommodat. Quæ igitur Cicæronis sententia est, quam minimè spectasti? Tropos. i. modos, alios in uno uerbo spectari, alios non in uno sed in pluribus continuationéq; uerborum. Ita est hæc secunda in eo genere, quod subdiuisionis nomine appellant. Nam cum in quo singulorum uerborum ornatus positus sit disputat, singula uerba aut uetusta, aut nouata, aut translata esse dicit, & translatorum nomine metaphoram intelligit. Itaq; longa in eius exponendis generibus posita oratione, ita ferè scribit: Modus aũt nullus est florentior in singulis uerbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nã illud quod ex hoc genere nõ est in uno uerbo translato, sed

ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit. Intelligis te iam planè ut arbitror, Rame, maximo in errore uersari, & hanc non Ciceronis defensionem esse, sed accusationem tui. Atq; in modis eum te Ciceroni præstitisti. In figuris autem qualem te præbueris, age uideamus. Figuras, inquis, omnes tam deformiter affluxisti, ut fastidiosam & insolentem despicientiam duntaxat hic agnoscam: sic non confuse tantum, sed profusè cumulas quicquid hic tibi somnianti temerè ac fortuitò occurrit. Si & cum pauca de tropis modisq; disserit Cicero, negligentiæ, & cum de figuris luminibusq; orationis multa præcipit nimiæ curæ ac diligentiæ crimine à te condemnatur, quid tandem eum facere oportet? quem modum tenebit? quousq; ei progrediendum erit, ut sua tibi probare possit? Numquam sic ex arte dicet, nihil ita perfectum ingenio & elaboratum industria afferet, quo tibi ulla ex parte satisfactum putes, sic agrestes & insulsas aures habes, ut non sine causa & brutum te & stupidum appellare uideare. Sed sis sanè eiusmodi, tua tibi uni, & tua unius tibi placeant, displiceant cæterorum. nõ probentur Ciceronis uigliæ atq; scripta. Contentus erit doctorum iudicio, nihil eum brutorum iudicium mouebit, dummodo hominibus, id est ijs qui rationis sunt iudicijq; compotes, probet sua. In his est Quintilianus, qui lib. ix. de figurarum enumeratione quam Cicero duobus libris tradit, disserens, longè aliter ac tu, de ea iudicat. Verba eius subijciam, ne quis ea fortè desyderet: Cicero quidem omnia orationis lumina in hunc locum congerit, mediam quandam, ut arbitror, secu-

tus uiam, ut nec omnis sermo schema iudicaretur, nec ea sola quæ haberent aliquam remotam ab usu communi fictionem, sed quæ essent clarissima, & ad mouẽdum auditorem ualerent plurimum, quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam subiecã, ne fraudarem legentes iudicio maximi auctoris. Audis Rame, quid de his Ciceronis enumerationibus Quintilianus sentiat. Tu eum temerè ac fortuitò congessisse hæc dicis, ille iudicio atq; ratione. Tu quicquid ei somnianti temerè ac fortuitò occurrit, non solum confuse, sed etiã profuse cumulatum ab eo esse uociferaris: ille mediam quandam uiam in his exponendis eum secutum confirmat, eáq; modo in luminibus orationis ab eo numerata dicat, quæ essent clarissima, & ad mouendum auditorem ualerent plurimum. Sunt ne somniantis hæc an uigilantis? temerè ac fortuitò agentis, an consilio & iudicio ponderantis omnia? confuse & profuse cumulãtis an delectu quodam iudicióq; adhibito congerentis? At in figuris uerborum reticentiam & exclamationem numerat, quas tamen constat figuras esse sententiarũ. Numerat profecto, & recte numerat. Si enim inter conformationem uerborum & sententiarum hoc interest, ut & ipse ait & cæteri probati scriptores tradunt, ꝙ uerborum tollitur, si uerba mutaris: sententiarũ permanet, quibuscunq; uerbis uti uelis: cui dubium est, quin sit quædã exclamatio & reticentia, quæ si uerba mutata sint, nomina sua amittant? Cuiusmodi est illa eius exclamatio, O tẽpora, ô mores. Itaq; Quintilianus cũ figuras sententiarum tractat, quod, inquit, exclamationem quidam uocant, ponunt'q; inter figuras orationis.

Eiusdem etiam generis sunt apud illum cum aliæ multæ, tum illa in Verrẽ actione iij. O scelus, ô portentum in ultimas terras exportandum. Si enim tollas uerbum portenti, non permanebit eadem sententia. Itaq; apud eundem sequitur hoc, quod cur illud dixerit exponit: Non enim potest ea natura, quæ tantum facinus commiserit, hoc uno scelere esse contenta, & quæ sequuntur. Quod eodem modo de reticentia existimari debet. Nec si eam in figuris sententiarum ponit, idcirco se ipse, ut ais, accusat ac condemnat. Primum enim Quintilianus Ironiam & in tropis quos Cicero modos uocat, & in cõformatione sententiarum collocat. Deinde id quod non dicimus, interdum ad uerborum figuras pertinet, ut cum Cicero ita loquitur: Nõ dico, Omitto, Prætereo. quædam est reticentia, quæ cũ nõ sit sententiarum, in uerborũ figuris numeretur necesse est. Miraris q asyndeton numeret, polysyndeton relinquat: q cõtraria, similiter cadentia desinentiáq; proponat, pariũ obliuiscatur: polysyndeton reliquit, q uulgi sermone usurpetur: asyndeton autem numerat, quòd sit artus. An uerò parium oblitus est, qui similiter cadentia, similiter desinẽtia & contraria dixerit? An non hæc omnia paria cõtraria uocãtur? qui partes dixit, is ne tibi genus ac totum uidetur reliquisse? Quintilianum tibi opponã qui hæc dicit: Magnæ inquit ueteribus curæ fuit gratiã dicendi è paribus contrarijs acquirere. Nisi forte par uocas quod græci ἰσόκωλον uocãt. Atqui cõtrariorũ ratio hoc ferè complectitur. Atq; hæc tibi in figuris uerborũ reprehẽdenda putasti, ne non satis multa reprehendisse uiderere. In figuris autem sententia-

rum reprehendis qualem te præstitisti, age uideamus. Verba tua subijciam: In figuris uerò sententiarum quid commune cum figuris habent commoratio, extenuatio, irrisio, quæ omnibus argumentis & figuris fieri possunt? Præclara sanè conclusio, Commoratio omnibus argumentis & figuris fieri potest, nihil igitur cum figuris commune habet. Isto quidem pacto nihil propè eorum quæ tu in figuris ponis, figuræ nomine appellabitur, non asyndeton, non polysyndeton, non paria, non contraria, non gradatio, non repetitio, non alia eiusdem generis. Quid enim horum non figuris alijs, non argumentis, tractari potest? De figuris quidem, non est id quidem dubium quin miscerí inter se confundíq; possint. Id quod Quintilianus libr. ix. docet. Quæro enim ex te Brute noster, sit ne unum & simplex figuræ genus illud ex oratione Cluentiana? Denique illa definitio iudiciorum æquorum quæ nobis à maioribus tradita est, retineatur, ut in iudicijs & sine inuidia culpa plectatur, & sine culpa inuidia ponatur. An non polysyndeton est non similiter desinens & similiter cadens, & antitheton quod contrarium Cicero interdum, nonnulli contrapositum, alij contentionem uocant? Si tuo stemus iudicio, hæc in figuris non erunt habenda, propterea quòd figuris alijs fiant. Quatuor quidem figuræ in superiore Ciceronis exemplo permixtæ coniunctæq; sunt, quod in alijs quoq; docerem, nisi satis esse rem indicare existimarem, & res esset notissima. Argumentis idem fieri potest. Nã & asyndeta, & polysyndeta, & antitheta, & similiter

cadentia, & similiter desinentia, & personarum fictiones, & gradationes, & repetitio, aliaq; innumerabilia argumẽtus tractãdis seruari possunt. Quæris etiã quid cũ figuris commune habeat propositio? quid definitio? argumentũ ratione cõclusum? diuisio in partes? similitudo? exẽplũ? tributio? quæ, ut ais, dialecticorũ tota sunt. In his te quidem certè ignoratio aut inuidia potius, quæ ne attenderes impedimunt, errare coegit. Neq; enim omnino propositionem in figuris numerat, quemadmodũ uerba tua declarant, nec definitionem quæ est dialecticorum, sed hoc dicãt ut proponat quid dicturus sit, ut cum transegerit iam aliquid definiat. Hoc quidẽ loco non de definitione, ut uis, loquitur, sed definiat idẽ ualet quod statuat, inducat. Eius exemplum illud esse potest quod est apud illum pro lege Manilia, satis mihi multa uerba fecisse uideor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudene periculosum. Quod deinceps sequitur est quoddam propositionis, de qua hic loquitur, exemplum, Restat, ut de imperatore ad id bellũ deligendo ac tantis rebus perficiendo, dicẽdum esse uideatur. In accusationibus sunt innumerabilia exempla huius generis, ut illud, Accipite nunc auaritiæ propemodũ in suo genere non leuius. Intelligis opinor, Brute noster, hæc duo non dialecticos, ut existimasti, sed propriè oratores attingere, in quorum altero te uerbi significatio deceperit. Nec uerò si quid orator à dialectico mutuatus est, idcirco figuræ nomen non habebit. Similitudine & exemplo uterque utitur, sed dialecticus subtilius ac pressius, hic enucleatius & copiosius. In figuris hoc unum quæritur ferè ut à communi uulgi

more abhorreat oratio. Nec uerò omnis similitudo omnéq; exemplum figuræ nomine à Cicerone comprehenditur. Lege librum quartum eorum qui ad Herennium seu à Cicerone, seu ab alio scripti sunt, in eo multa utriusque generis exempla proferuntur. Similitudinis huius genere exemplum in oratione pro Murena est huiusmodi: Nam ut tempestates sæpe certo aliquo cæli signo commouentur, sæpe improuiso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari sæpe intelliges, quo signo commota sit: sæpe ita obscura est, ut casu excitata esse uideatur. Eiusdem etiam generis illa est eiusdem in oratione pro Roscio Amerino similitudo cuius initium est: Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpe uidetis, & quæ sequuntur. Exempla etiã apud eum sunt permulta, ut illud quod in eadem pagina à Solone sumitur, itemq; id quod à quodã Fimbria ducitur. Hoc autem inter hæc, cũ ad probandum adhibentur, & cũ in figuris habentur, interesse scire debuisti, q̃ illic docẽdæ tantum, hic etiam illustrandæ ornandæq; rei causa proferuntur. Longum esset de omnibus quæ crimini ducis dicere. Ad pauca respondere satis erit. Hoc etiã tibi reprehensione dignum usum est, quòd diuidi uelit in partes, & aliud alij tribui: Quod duobus modis reprehendis, & q̃ hæc sint dialecticorũ, & q̃ unum idemq; sint: quorum utrũq; falsum est. Nam & aliud alij tribuentem dispertire falsum est esse dialecticorũ, & quæ duo sunt unum facis. Satis erit superioris exemplum proferre, propterea q̃ eo cognito errore, facile posterior intelligetur. In principio quidem orationis

Rabirianæ bonũ consulem à bono ciue ita seiungit, ut aliud alij tribuat. Quamobrem si est boni consulis, cum cuncta auxilia Reipubli. labefactari conuelliq; uideat, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare ciuium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorum & fortium ciuium, quales uos omnibus Reip. tẽporibus extitistis, intercludere omneis seditionũ uias, munire præsidia Reip. summũ in consulibus imperiũ, summum in senatu consilium putare: ea qui secutus sit, laude potius & honore, quàm pœna & supplicio dignum iudicare. Atque hoc unum genus eius figuræ qua aliud alij tribuitur, mihi uidetur. Alterius est huiusmodi exemplum actione septima: Vide quid interſit inter tuam libidinem, maiorumq; auctoritatem: inter amorem furoremq; tuum, & illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum litoris Syracusanis ademerunt, tu maritimum imperium concessisti. Illi habitari in eo loco Syracusanum quo naues accedere possent, noluerunt, tu classi & nauibus Syracusanum præesse uoluisti. Sic enim boni & improbi ciuis officium describens, dispertiensq; ciues in duo genera, aliud alij tribuit. Cum autem aliquid in partes diuiditur, non necesse est aliud alij tribuere. Vt Cicero cum genus hominum qui Catilinæ partes sequerentur in quatuor partes diuidit, aut quatuor in imperatore dicit inesse oportere pro lege Manilia. Quæris etiam quid cætera quæ Cicero inter figuras conformationesque sententiarum numerat, commune habent cum figuris? Quo ego loco hoc tibi primum respõdeo, ea omnia

à uulgari & simplici dicendi forma discedere, ob eámque causam in figuris esse dicenda. Deinde id quod Quintil. subiectis locis duorum librorum Ciceronis, quibus ille figuras enumerat tradit, eum cui complecti latius conformationes uerborum ac sententiarum placuerit, habere quod sequatur, nec se affirmare audere quicquam melius esse. Postremo quid tandem faciat Cicero quo sua tibi probare possit? Cum modos, id est, tropos non omnes enumerat, præteritis ijs qui faciles sint, aut qui alio loco ab eo sint traditi hoc es ut utium obiicis. Cum figurarum numerum quanquam diligentissimè persequitur, quæris quid multa ex iis cum figuris commercij habeant? Quòd si nonnulla iterare tibi uidetur, uehementer erras. nec obliuione hoc fecit, ut ais, aut fastu, sed diligentiæ officiique ratione. Hoc in duobus iam ostendi & docui, in cæteris etiam docerẽ, nisi longiorem orationem hic locus postularet. Superest Rame, ut quoniam nihil à quoquam adhuc de tropis & figuris uia & arte, ut ais, traditum est, tu huius rei laudem alijs præripias. Macte uirtute esto, omnes uince studio, arte, diligentia, industria. Tibi ad hãc gloriam aditus patet, hic tibi honos debetur, hic te manet triumphus: ualeat Cicero, ualeant Quintilianus, Rutilius, Celsus, ualeat Gorgias, Ramus unus retineatur, legatur, sitq; pro omnibus.

de verbor collocatione et numero 5.99

Venio nunc ad crimen quod partim calumniandi libidinem tuam continet, partim ignorationem indicat. Quæ quò facilius intelligi possint, uerba Ciceronis attexam: Collocabuntur igitur uerba, aut ut inter se quamaptissime cohæreant extrema cum primis, aut ut

forma ipsa concinnitásque uerborum conficiat orbem suum: aut ut comprehensio numerosè & apte cadat. Altera autem potius tertia inde pagina hoc etiã dicit: Duæ sunt igitur res, quæ permulceant aures, sonus & numerus. Has tu partitiones duas quas uocas, uitiosas multis de causis esse dicis. In superioris primo membro, in quo structuram orationis ponit, hoc reprehendis, quòd de contractione, coniunctione, & commutatione literarum, nominum, accentuum, & spirituum tam multa dixerit ac præceperit, tuæq; illius reprehensionis causam affers quòd tam prolixa descriptio, nullam componendæ orationis uiam doceat. O licentiam, aut potius insignem reprehendendi libidinem. Quæ tandem uitia in constructione fugienda sunt? An non hoc prospicere debemus, ne hiulcis, aut asperis uocibus utamur? Quæ autem huiusmodi sint, quî tandem intelligere potes, nisi quid mos ferat, consuetudóq; sermonis patiatur, cognoueris? Consuetudo porrò quæ sit seruanda, quis sciet, nisi qui quantum antiquitati in his omnibus tribuendum sit, intellexerit? Quòd si hæc omnia Cicero diligenter accurateq; persecutus est, idq; tamen breuius dixit, ut ipse ait, q̃ si hac de re una disputasset, longus autem quàm ratio instituta postularet, an non ea tradidit quæ ad hunc locum maxime pertinebant? Si enim non pertinent, quæ alia potes dicere? Vitia quæ putas esse, ostendis: eadem ipse non corrigis, nisi forte hoc tibi in noua, & uerò noua rhetorica quam à te expectamus, reseruasti. Atque hoc quidem uitium unum est eorum quæ tu in priore partitione inesse uis. Alterum quod longè grauius appellas, quod sit uideamus. In-

constantiæ hic Ciceronem crimine condemnas, ꝙ superiore partitione conāmnitatem & numerum res diuersas, posteriore eaſdem fecerit. Magnum eſt hoc crimen ſi modo uerum ſit. Sed falſum eſt, & uerum eſſe ut crederes, te tua impulit ignoratio. Neque enim ſcire uideris quid hoc loco Cicero conāmnitatis nomine intellexerit. Quid ergo, inquies? Conāmnitas hæc in confirmatione uerborū tota poſita eſt? Quo ergo auctore hoc doces? Eodem quem tu cum non intelligas reprehēdis, uerba eius hæc ſuperiora quæ hoc planum faciunt, te meminiſſe oportuit, Collocata autem uerba habent ornatū, ſi aliquid conāmnitatis efficiunt, quod uerbis mutatis non maneat, manente ſententia, Itaq; altero partitionis prioris mēbro, uerbo uſus eſt quod hoc propriè ſignificat, cū ait, aut ut forma conāmnitaſq; uerborum cōficiat orbē ſuum. σχῆμα enim formam appellat. Nūc ex te quæro, qui incōſtantiæ Ciceronē accuſas, ubi tandē conāmnitatē & numerum idē eſſe dixerit? An in ſuperiore partitione? At tria dicit & numerat, cōſtructionē, conāmnitatē, numerū. An in ea quā tu poſteriorē uocas? Quænā illa eſt? Duæ, inqt, ſunt igitur res quæ demulceāt aures, ſonus & numerus. Quæ hic litera, quæ ſyllaba, quod uerbū idem cōāmnitatē & numerū eſſe declarat? Certè nullū. Et tamē cum hæc duo pugnātia Ciceronē dicas cōcedere, Cōāmnitas diuerſa eſt à numero, Cōāmnitas nō eſt diuerſa à numero, duas tantū Cic. cuius uerba paulo ante ſubiunxi, profers partitiones: quarū ſuperiore cū diuerſas res cōāmnitatē & numerū eſſe ponat, altera eaſdē ponere debuit, ſi hoc uerum eſt crimen, aut certè alia eius uerba quæ id planè lo-

querentur, afferre debuisti. Sed ueniamus ad cætera. Numerosæ etiã orationis uocabulũ te cum id nõ intelligres, peccare cõegit. Si enim quã numerosam orationem uocaret Cicero, intellexisses, aut recordatus esses, nunquã hac perinfirma conclusiuncula, est igitur constructio numerus quoniã orationem numerosam facit, usus esses. Non enim orationẽ numerosam dicit eã quæ ex numeris cõstet sed eã quæ similis numerorũ sit. Quod illius hæc uerba quæ in libro, quẽ defendo, ferè extremo posita sunt, indicãt: Multũ interest utrũ numerosa sit. i. similis numerorũ, an plane è numeris cõstet oratio. Alterum si sit, intolerabile uitium est, alterũ nisi sit, dissipata & inculta, & fluens est oratio. Nõ igitur si compositio numerosam. i. similem numerorũ orationẽ efficit, propterea cõpositio numerus habẽdus est. Næ præclara est ista tua conclusio. Isto quidẽ pacto & humanitas homo erit, humanũ enim hominẽ efficit: & prudẽtia homo ipse prudens dicetur, & uno nomine uirtus omnis, eius nomine in quo ipsa sit appellabitur, quo quid potest esse aut dici absurdius? Quo autem pacto doces id quod uis, Ciceronem in diuidendo, uitia duo non effugisse uel maxima, ut & quæ duo erant genera tria fecerit, & genus in specie numerauerit? Tu constructionem, & coniunctionem pedum genera duo esse ponis, quæ nunquam ille dixit. Compositionem dicit omnino eam quam primam partem facit esse collocationis. Tu cum pedum compositionem dicis, perinde loqueris, quasi tota ex numeris pedibusq; constare debeat oratio, quod ille ijs uerbis quæ paulo ante protuli, uitium intolerabile appellat. Hoc uerõ

tu addis ut ſcilicet locus ſit aliquis reprehenſioni tuæ, qua numerũ dicis qui genus ſit illarum duarũ partium, in ſpecie à Cicerone numerari. Sed intelligis, ſuperiore uitio ſublato, quàm hoc crimen leue ſit, aut potius q̃ frigeat. Collocationem Rame, Cicero in genere ponit, eius parteis tres facit, compoſitionem, concinnitatem, & numerum. Doce numerum genus eſſe compoſitionis. Si compoſitionem pedum dicas, nihil ad Ciceronem. Sẽper enim in reprehendendo altero illius ſpectanda ſententia eſt, eius uerba ponenda, nihil addendum eſt, nihil detrahendum, nihil denique mutandum quod ſententiam mutare poſſit. Hoc reprehenſoris & correctoris officium eſt, à quo tu cum diſceſſeris, quem te præbueris ac præſtiteris neminem iam ignorare arbitror. Extrema tua reſtat accuſatio, quam totam in ijs uariè reprehendendis quæ de numerorum ratione Cicero accuratiſſimè præcepit uerſari conſumíq; uoluiſti. In quo hoc tibi primum reprehenſione dignum uiſum eſt, quin explicando numero à dialecticis Cicero diſceſſerit, qui in tradendis artibus rem primum definiri uoluit, deinde in partes tribui. Non hanc unam tradendarum artium rationem, ut uis, dialectici tradunt, ſed alias etiã duas: quemadmodum tibi alio loco longa ſatis oratione qua Ariſtotelem defendendum ſuſceperam, reſpondi. Hoc quidem loco Cicero in explicãda ratione aptæ numeroſæq; orationis, naturæ ordinem inſtitutúmque ſecutus eſt: ut enim naturæ ordo fert, ut ſit cauſa primum, deinde effectus, tum rẽ effectam multiplex uſus conſequatur: ſic ille primum originem numeri, deinde cauſam, poſt naturam, poſtremo uſum oſtendit.

Quæ tu tamen quatuor quid efficerent parum uidisti. Neq; *enim in natura definitionem quandam numeri, ut uis,* Cicero *statuit, sed hoc quærendum proponit, Sitne numerus omnino, & si sit, qualis sit. Quod illa eius uerba facilè declarant:* Sed *ut in pleriſq; rebus, sic in hac duplex est considerandi uia, quarum altera est longior, breuior altera, & eadem etiam planior. Est autem longioris prima illa quæstio, sit ne omnino ulla numerosa oratio. Quibusdam enim non uidetur, quia nihil in ea sit certi, ut in uersibus: & quòd illi qui affirmant eos esse numeros, rationem cur sint non queant reddere.* Deinde *si sit numerus in oratione, qualis sit, aut quales, & quæ sequuntur. Itaque propositis quæstionibus, quæ de natura numeri quærumtur, hanc qua quæritur, an sit omnino, primam explicat his uerbis,* Esse *igitur in oratione numerum quendam, non est difficile cognoscere, iudicat enim sensus, & quæ sequuntur. Eodemq; modo in usu numeri peccasti. Neque enim genera numeri, ut ais, in usu statuit, sed sex alia quærenda censet: Primùm utrum in initijs tantum, an in extremis, an in tota continuatione uerborum numerus tenendus sit: Deinde quid inter numerum & numerosum intersit: Tum de incisionibus in quibus numerum tenere oporteat: Tum unde orta sit forma uerborum: Tum de incisionibus comprehensionum: Postremo de totius generis utilitate. Atque hæc quidem omnia Cicero in usu numeri explicando sibi proponit ad disserendum. Tu eum de numeri generibus disserere dicis, cum de eius usu disputet. Quid*

autem genera numeri cum usu commercij habent? aut quid tandem uerbum usus efficit? Atqui de generibus numerorum potius disserit, cum de eorum natura disputat. Genus enim rei naturam attingit. Itaque cum eas quæstiones quæ numeri naturam attingunt, explicat, genera numerorum, quique pedes cui maximè probati sint, exponit, his uerbis: Sequitur ergo ut qui maxime cadant in orationem aptam numeri uidendum sit, & quæ sequuntur. Atque hæc quidem perspicuè docent te in his extremis duabus partibus non intellexisse quænam esset Ciceronis sententia. Nunc quæ uitia inesse in hac partitione putes, consyderemus. Tu inuentorem artis huius, id est, rationis numerorum à Cicerone superiore partitione partem artis numerari dicis, quasi uerò diuisio uel partitio omnis sit generis totiúsue in suas partes. In quo certè dum ridiculum Ciceronem uis ostendere, te ipse ridiculum cæteris ostendis & comprobas. Ridiculum multò etiam magis esse uis illud, quòd duo membra faciat originem & causam, quasi uerò non sit, ut ais, origo etiam causa, & auctores inuentoréque numeri non sint eius efficientes causæ, & non uerius uno causæ nomine dicatur & qui inuenit, & inueniendi ipsa facilitas & occasio. Aliud est, Rame, originem numeri, aliud efficientem eius causam quærere. Cum enim quæritur numeri origo, hoc quæritur, quis primus de industria & ex arte uerbis solutis numeros adiunxerit, initiúmque semper inuestigatur rei cuius origo quæritur. Causa autem cum quæritur hoc quæ-

ritur, quæ causa eum impulerit qui numeris uerba soluta primus astrinxit, ut ea numeris astringeret, ut exempli causa, naturáne, an animaduersio & obseruatio, an aliud quippiam. Nec uerò si origo etiam causa est, idárco eadem sunt ut in partitione duobus membris comprehendi non debeant. Hoc enim discere debuisti, satis esse eas partes aut membra in quæ aliquid diuidatur, uel re, uel cogitatione distingui. Non quòd originem & causam hoc modo distingui putem, sed ut doceam non ueram esse reprehensionem tuam. Nec proprie auctores numeri, causæ sunt illius efficientes, propterea quòd iam ante Thrasymachum numerus erat, ita eius causa ante natum Thrasymachum extiterat. Causæ etiam nomen ambiguum est. Itaque non si uno causæ nomine omnia causarum genera appellantur, propterea uitiose faciat qui in causæ partitione, formam, & efficientem, & finem quæ uno causæ nomine dicuntur, ut eius partes nominauerit. Breuiter ac simpliciter ea omnia, quæ tu uitiosa putabas in hac diuisione reprehendi. Rides tu, si diuus placet, idq; longa oratione, Ciceronis in proponendis explicandisq; ijs quæ de numero quæri possunt, diligentiam: illúdque illi ut uitium obijcis, quod quindecim de numero posuerit quæstiones. Ego uerò hoc tibi pro illo respondeo, non quindecim modo, sed multò etiam plures ab eo poni, præsertim cum eæ quindecim quas enumeras, naturam solam, quæ tertia pars in diuidendo fuit, attingant, multáque ponat præterea, quæ ad usum numeri pertineant. Quòd si eæ quindecim eam uim ti-

bi habuerint ut hæc te uociferari cogerent: O musæ, O charites, O præsides ingeniorum literarumq; deæ: uide quanta tibi facultas à me detur excitandi ab inferis quoscunque uoles. At non eum ordinem in explicando tenuit, quem in proponendo seruauerat. Imò uerò eundem utraq; in parte seruauit, sed te usque adeo siue inuidia, siue maledicendi libido uexat, ut eum non potuerit mens tua attendere. Quod quò planius facerem, eius uerba mihi proferenda censui: Quoniam igitur causam quoque ostendimus, naturam nunc (id enim erat tertium) si placet explicemus, quæ disputatio non huius instituti sermonis est, sed artis intimæ. Quæri enim potest qui sit orationis numerus, & ubi sit positus, & natus ex quo: & is unus ne sit, an duo, an plures, quáq; ratione componatur, & ad quã rem, & quando, & quo loco, & quemadmodum adhibitus aliquid uoluptatis afferat. Sed ut in plerisque rebus, sic in hac duplex est consyderandi uia, quarum altera est lõgior, breuior altera, & eadem etiam planior. Intelligis Brute noster, hic partitionem ab eo esse factam. Hoc nunc ex te quæro, si ex duplici illa consyderandi uia, quam ponit, superiorem quam eandem longiorem uocat, priore loco, & alteram quæ ab eo & breuior & planior dicitur, posteriore tractet, num officio tibi functus esse uidebitur? Certè uidebitur inquies. Intellige igitur nunc Ciceronis in hoc à te desyderari non posse diligentiam, hæc enim apud eum sequuntur: Est autem longioris prima illa quæstio, Sit ne omnino ulla numerosa oratio, & quæ sequuntur. An non his ille uerbis longioris tibi uiæ quæstiones ponere ui-

detur? Vt autem eas quæ longiorem uiam attingunt, priore loco posuit, sic eodem eas explicat. Quibus explicatis alterius uiæ quæstiones dissoluit, his uerbis: Ita si numerus orationis quæritur qui sit, omnis est, sed alius alio melior atque aptior. Si locus, in omni parte uerborum: si unde ortus sit, ex aurium uoluptate: si componendorum ratio, dicetur alio loco, quia pertinet ad usum, quæ pars quarta & extrema nobis in diuidendo fuit: si ad quam rem adhibeatur, ad delectationem: si quando, semper: si quo loco, in tota continuatione uerborũ: si quæ res efficiat uoluptatem, eadem quæ in uersibus quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiunt. Hanc ille & breuiorem & planiorem, ut dixi, uiam uocauit. Quid enim brevius planiusq; ad superiora responderi potest? Hoc tu quoniam siue mutdia impulsus, siue ignoratione impeditus non intellexisti, uociferatus es, confusionémque in harum quæstionum explicatione tantam inesse dixisti, ut nouem primis in extremum locum reiectis, Ciceronem à decima demum exordium duxisse affirmaueris. Non te tui pudet? ubi acumen tuum? ubi ratio? Sed erro qui acumen & rationem in bruto postulem. Respondendum est tamen breuiter ad ea quæ in harum quæstionum explicatione reprehendis. Prima igitur quæstio est ea, qua an sit omnino numerus quæritur. Eam ita ille explicat, ut esse numerum dicat, idque sensum iudicare. Hanc tu quæstionem uitiose ab eo tractari ais, quòd nihil ad numeri naturam definiendam pertineat. Quasi uerò

rei natura, id est, quid sit, exponi possit, nisi antè, an sit omnino sciatur. Quis hoc unquam ante te ab aliquo postulauit, ut rem definiret, quæ an esset omnino, minime constaret? Quid est aliud amentem aut brutum potius esse, quàm hoc ab alio postulare? At duæ primæ partes, origo & causa, iam numerum esse docuerunt. Iam suprà ad hoc respondi, Ciceronem naturæ ordinem in his secutum, quo etiam illud addi recte potest, eũdem unum in locum ea contulisse omnia, quæ naturam numeri attingerent. Eaq; quæ non attingerent, cuiusmodi sunt origo & causa, ut remota à numeri natura, eáque antiquiora priore loco tractare voluisse, eandemq; numerum ipsum cum constaret quid esset, non necesse habuisse aperire definiendo. Reprehendis etiam interim, illud eiusdem: Omnino duo sunt quæ condiunt orationem, uerborum numerorumque iucunditas, quòd iam sit tertia eius rei partitio. Non est hæc Rame eadem quæ superiores. Primum enim collocationem suprà in compositionem, concinnitatem & numerum partitus est, hic non collocationem diuidit, sed ea quæ orationem condiant. Deinde aliud est de collocationis natura dicere, aliud de uoluptate uerborum atque numerorum. Sequitur secunda apud Ciceronem quæstio, quam tu undecumam falsò, ut docui, ponis quales sint numeri oratorij. Hic tu primum quæris, cur hæc quæstio quid sit numerus, quæ huius loci sola erat propria prætermittitur. Ad quod tibi idem respondeo quod suprà, hanc à Cicerone prætermissam esse, quòd numeri definitionem notam esse intelligeret. Itaque ad poetas nos mittit, cum o-

ratorios eosdem & poeticos esse statuit. Quod illius responsum duabus de causis reprehendis, quòd & obscurum sit, & falsum. Obscurum esse probas & non probas. Neq; enim propria est Rhetoricæ numerorum, ut uis, ratio & disciplina. Falsum esse doces uerbis Ciceronis, quòd in numero poetico certa quædam & definita lex sit quam sequi oporteat, in oratorio autem numero nihil sit huiusmodi propositum. Cicero, Rame, cum ait eosdem esse oratorios numeros & poeticos, non hoc ait, eosdem pedes ab oratoribus & poetis eodem ordine tenendos esse, (poema enim & oratio idem essent) sed hoc ait, quot sint apud poetas numerorum genera, totidem oratores sequi & approbare. Hanc autem illius sententiam esse hæc eius in hoc extremo libro posita oratio declarat. Numerus autem (sæpe enim hoc testandum est) non modo non poeticè iunctus, uerum etiam fugiens illum eíq; omnium dissimillimus, non quin ũdem sint numeri non modo oratorum & poetarum, uerum omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium quæ metiri auribus possumus: sed ordo pedũ facit, ut id quod pronunciantur, aut orationis aut poematis simile uideatur. Qualitas autem hoc loco ad nomen hoc, poetică, refertur, non ad numerorum, ut uis, modum atq; rationẽ. Quæritur enim, utipse ait, poeticine sint hi numeri, an ex alio genere quodam. Quo autem pacto intelligat poeticos esse oportere, exponit etiam his uerbis: Nullus est igitur numerus extra poeticos, propterea quòd definita sunt genera singularum. Nam omnis talis

est ut sit unus è tribus. Pes enim qui adhibetur ad numeros partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut æqualem esse alteri parti, aut altera tota, aut sesquí esse maiorem. Sed quoniam hanc tu partitionem reprehendis, quàm id recte facias uideamus. Arithmeticos ais numerorum differentias longe alia subtilitate partiri, üsq; enumeratis, duas modo ex his Ciceronis partitione comprehendi confirmas: quæríq; num è reliquis rationibus nulla in pedes poeticos cadat. Tum ut doceas alias etiam cadere, duobus prolatis pedibus quasi uictoria exultans Ciceronem admones ut Amphibrachyn *frangat quomodo uoluerit, tum nunquam in eo inuenturum esse ullam rationem earũ quæ in pedes omneis cadere dixerit. Ego autem ut tibi pro Cicerone respondeam, non eum quidem frangam pedem, sed ad Ciceronianæ partitionis formulam doctbo pertinere. Amphibrachys, Rame, cum ex breui, longa, & breui constet, nónne Dactylo temporibus par & æqualis est? Si autem Dactylum Cicero ita dimensus est ut parem eum diceret, nec tu illam eius dimensionem in illo pede improbauisti, inquirénsque diligenter in illum ut sententiã eius refelleres: lectis accurate üs omnibus qui diligentissimè de pedibus scripserunt, hunc pedem potissimum, qui est, ut dixi, dactylo par, refellendi causã protulisti, an non Amphibrachyn in eandem rationem cadere concedis? Neque enim Amphibrachys in quatuor tẽpora: ut uis, tribui debet, ut unũ tribus cõparetur, ex eoq; triplex sit ꝓportio, aut dactylus etiã debet. Dactylus autẽ nõ debet tacita tua cõfessione. i. taciturnitate tua quæ confessionem*

imitatur. Aliter enim tibi Amphibrachys legendis grammaticis quærendus non fuit, cum tibi ab aduersario ultro dactylus ostenderetur, in quo idem posses reprehendere. Quòd si dactylum probas parem, nec is aliter par est, nisi quia longa eius pars, reliquus duabus quæ breues sunt, æqualis est: eodem modo Amphibrachyn tuum dimetiri debuisti. Quod si fecisses, parem & æqualem eum esse intellexisses. Dochimum nunc consyderemus. Pæan, Rame, uterq; ex quot quibusq; factus est? Nonne cum sint pares, prior est è longa, & tribus breuibus: posterior autem è tribus breuibus & longa? Horum utrumlibet sesquiplicem Cicero facit. Quod non stabit, si ita diuidatur, ut Dochimum diuidis. Si igitur eum sesquiplicem esse concedis, neq; id fieri potest, nisi ea pars quæ longa est tribus reliquis comparetur: profecto aliter Dochimum ac partitus es, tibi diuidendum fuisse intelligis. Si enim tria tempora in pæane duobus recte comparari ob eam causam concedis, quòd Ciceronem id facientem non reprehendas: cur in Dochimo quinq; tribus potius, quàm quatuor cæteris quatuor comparabis? Quod si tu facere nolis, ego scilicet pro Cicerone faciam, præsertim cum ei permittas ut Dochimum & Amphibrachyn seu frangat seu diuidat quomodo uoluerit. Diuidam igitur hunc in partes duas, quarum una alteri erit par & æqualis. Ita fit ut par sit Dochimus tuus. Quod si ita est, & hic & Amphibrachys in eam partitionem quæ à Cicerone tradita est, cadunt. Quære igitur Rame alios pedes, euolue diligentissimè omnes grammaticos, lege

ueteres, percurre nouos, ut Ciceronem refellas. Nunquam, mihi crede, tantum conabere, nunq; tantum studio, labore, diligentia perficies, ut tandem aliquem inuenias, qui non concludatur in eam quam secutus est Cicero partitionem. Erit enim uel par omnis, uel duplex, uel sesquiplex, si rectè tempora & diuidas & compares. Neque enim Diomedem Ciceroni comparandum puto, qui amphibrachyn & epitriton excipit: Donatiq; potius sententiam sequar, qui hanc partitionem probat. Non igitur plura res quæ diuiditur quàm partes eius, ut uis, complectitur. Sequitur apud Ciceronem tertia quæstio, quam tu duodecimam appellas, quo numero, aut quibus potissimum sit utendum. Hanc tu ad usum non ad naturam numeri uis pertinere, sed falsò. Species enim numeri, eius naturam attingunt. Quod tamen tibi non uidetur, tuæq; sententiæ rationem perinfirmam affers. Generis ipsius, inquis, natura imperitè quæritur in formis, genus enim ipsum numeri definiendum generaliter & explicandum prius est quàm species proponantur. Quæro enim ex te Rame, num si quis rem minimè definiat, idcirco partes eius ad naturam. i. κατὰ φύσιν minimè pertinebunt? Isto quidem pacto si animal non definiatur, homo non erit pars ὑποδιαιρετὸς animalis, nec ulla alia, omneſq; erunt, ut ita dicam accidentales, eáq; partitio qua animal in homines & bruta diuiditur accidentalis. Quo quid potest dici aut fingi absurdius? Atque hæc facile declarant, hanc Ciceronis partitionem ad numeri naturam pertinere. Nam ad usum referri non posse, paulo antè ostendi. Hoc tu loco

§ 113

Rame, insitum aut innatum potius tuum in Aristotelem odium, inimicitiásque quas æternas cum illo geris, perspicuè declaras. In quo Ciceronem etiam inconstantiæ crimine condemnas, quòd eum quem optimum auctorem cẽset, parum uidisse ait, ab eóq; dissentit. Quasi uerò fieri non possit cum dignitate, ut ab eo quis de aliqua re dissentiat, quem optimum auctorem iudicarit. Hæc omnia Rame, ex maxima parte ponderanda sunt. Non enim si quis aliqua in re parum uidit, propterea optimus auctor esse desinit: nec si quis eius de re aliqua sententiam minimè sequatur, quem optimum auctorem cẽsuit, idcirco repugnantia loquatur. Reprehensio enim in eadem re uersari debet. Optimus est Ciceroni usus auctor Aristoteles cæteris in rebus, in pœane non est usus optimus. Neq; enim eius auctoritatem defugisset, Cum autem eum optimum primum cẽset, deinde ab eo dissentire se dicit, in eo facile ostendit, q̃ inuitus ab illo dissentiat. Quanq̃ assentari eum Aristoteli hoc in loco magis quàm assenturi existimas. Præclara sanè, ut ita dicam, agnominatio, sed ad ueritatem parum apta. Neq; enim satis mihi attendisse uideris qui sint assẽtatores, nec qua quisq; de causa assentari solitus sit, nec quibus. Quis enim mortuo iam assentari uelit? Assentatio enim studiũ quoddam habet placendi, quo is in quo illud est abuti uult, ad alterius siue uolumtatem siue uoluptatem, ut ab illo id quod uult cõsequatur. Quid igitur ab Aristotele mortuo impetrare uellet Cicero cũ erat in uita, ut id assentando consequi posset? Non gloriam, non honorẽ, non gratiam, non amicitiam, non denique rẽ ullam aliam. Si

rem nullam ab illo expectabat aut postulabat Cicero, et profectò assentari nec uoluit nec potuit, nec certe debuit. Grauius etiam crimen ei obijcis, ignorationis. Ais enim Ciceronem in Aristotele admirari, quæ ipse non intellexerit. Quid si Aristotelis sententiam eo loco quem profers, optimè à Cicerone spectatam & intellectam doceo? An non & ignorationem tuam, & maledicendi licentiam aut libidinem potius profitebere? Verba quidem Aristotelis transfers, sed q̃ mdo ctè prima, alijs licebit existimare. λείπεται δὲ παῖαν, ὥ ἐχρῶντο μὲν ὡς ἀπορρήτῳ ἀπὸ θρασυμάχου ἀρξάμενοι. Tu hoc modo: Reliquus est ita q; pæan, quo uelut arcano Thrasymachum secuti, utebantur. Ego hoc modo malim, Reliquus est autem pæan, quo quasi eximio & excellente iam mde à Thrasymacho. i. Thrasymachi ætate omnes uti cœperunt. Quanquam in græco est ὡς ὂν ἀπορρήτω. id est per imprudentiam. Sed uter melius, alij, ut dixi, existimabunt. Nunc uter Aristotelis sententiam intellexerit, tu ne, an Cicero, uideamus. Primum hoc dico, te affingere & attribuere Ciceroni, quod ei nunquam in mentem uenerit. Partitionem enim pedum ab Aristotele factam esse eum credidisse dicis, quod falsum est, idq; Ciceronis uerba declarant: Ita, inquit, pæana probat, eóq; ait uti omnes, sed ipsos non sentire cum utantur, esse autem tertium ac medium inter illos, sed ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit aut sesquiplex aut duplex, aut par. Tibi ne uidetur his uerbis Cicero de omnibus pedibus dicere? Mihi uerò, inquies. At de tribus tantum eum loqui, hinc

intelligi potest, quòd non omnes dicat, sed eos pedes: quid illud eos refert? Omnes ne? At Aristoteles eo loco quatuor tantum mentionem facit, dactyli quem heroum, ut Quintilianus ait, appellat, trochæi, iambi atque pæanis. Ita cum eos dicat Cicero, hos quatuor significat. Qđ ita facilius intelligetur si omnia Ciceronis uerba subijciam quibus Aristotelis sententiam explicat: Quod longè Aristoteli iudetur secus, qui iudicat heroum numerum grandiorem quàm desyderet soluta oratio: iambum autem nimis è uulgari esse sermone. Ita neq; humilem nec abiectam orationem, nec nimis altam & exaggeratam probat. Plenam tamen eam uult esse grauitatis, ut eos qui audient, ad maiorem admirationem possit traducere. Trochæum autem qui est eodem spatio quo Choreus cordacem appellat, quia contractio & breuitas dignitatem non habeat. Ita pæana probat & cætera que iam paulò antè protuli. Si hos tantum quatuor dixit ut Aristoteles, sic Cicero, non omnes dixit. Si non omnes dixit, falsum est eum putasse ab Aristotele factam esse pedum partitionem. Quod quò facilius intelligi possit, uerba etiam Aristotelis, quæ Cicero superioribus interpretatus est, proferantur:

τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικὸς καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ὁ δ' ἴαμβος, αὐτὴ ἔστιν λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνοτέραν γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος. δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμε-

πρα λείπεται δὲ παιάν, ὃν ἐχρῶντο μηδὲ ὡς ἐνάπορ-
ρήτῳ ἀπὸ θρασυμάχου ἀρξάμενοι. ὃκ εἶχον δὲ λέγειν
τίς ἦν. ὅστι δὲ τρίτος παιάν, καὶ ἑχόμενος τῶν εἰ-
ρημένων. τρία δὲ πρὸς δύο ὅσιν, ἐκείνων δὲ ὁ μὲν
ἓν πρὸς ἕν, ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν
λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος. ὅστος δὲ ὅσιν ὁ παιάν.

Atq; his quidem superiora Cicerónis respondent. Nunc docæ Ciceronem partitionem pedum factam ab Aristotele existimasse. Quænam, quæso te, Ciceronis uerba hoc significant? Qui pedum partitionem factam esse ab aliquo existimat, is omnes pedes complectatur necesse est. At treis tantum aut ad summum quatuor nominat, heroum, trochæum, iambum & Pæana, ad quos tantum pronomen illud, eos, pertinet: quod ne intelligi posset, astute aut malicióse potius superiora Aristotelis uerba reticuisti. Quæ uerò frons est tuæ orationis, aut quæ te impudentia, aut inuidia potius adeo cæcum effecit, ut in quo Ciceronem parum uidisse & lapsum esse dicéres, in eo ignorationem tuam proderes? Hæc enim tua est oratio, quam ad Ciceronem auertis: Hic M. Tulli genera pedum non diuidit Aristoteles, sed probat pæanis rationem ex dactyli & iambi rationibus confici. Quæ tandem pæanis quarti (de illo enim loquitur) proportio est? An non sesquiplex? id est ea quam ἡμιόλιον Græci, Arithmetici Latini sesquialteram appellant. Constat enim ex tribus breuibus & longa. Dactyli porrò quæ est? nónne æqualis? & iambi aut trochæi nónne duplex? Ex duplici autem & pari quî fieri potest ut sesquiplex con-

ficiatur proportio? Iunge parem cum duplici.i.cum iambo aut trochæo dactylum, quæ ex his orietur,nõ erit sesquiplex. Aut, ut planius dicam, dactylus & iambus pæana non efficient. Dactylus enim est è longa & brevibus duabus, & iambus è brevi & longa. Ita coniuncti hi duo sive pedes, sive numeri, non modo temporibus & interuallis pæani æquales non erunt,sed eum etiam duobus temporibus superabunt atq; uincent. Non est hæc, Brute noster, Aristotelis sententia,non est,inquam. Quæ igitur est? Cohærêre uult cũ dactyli & iãbi rationibus.i.pari & duplici, pæanis.i sesquiplicem proportionem,propterea quòd nulla inter illas & hanc interiici potest. Primum enim unum uni comparatur,in quo dactylus:deinde duo cũ uno,in quo trochæus aut iambus:tum tria cum duobus,in quo pæan cernitur. ἔκτασι enim in superioribus Aristotelis uerbis, non conficitur ualet, ut uis,sed cohæret & consequitur. Non est autem mirum, si ex his principijs falsis, falsum concludas,ex eáq; fallaci conclusione efficias etiam Aristotelem falsum concludere. Ais enim Aristotelem ob eam causam uelle ex dactyli & iambi rationibus pæanis rationem confici, ut concludat pæana his pedibus præstantiorem. Quod falsum est. Duabus enim de causis pæana illis anteponit,Primum quòd herous sit grandis, & iambus nimis è uulgari sermone sit:deinde quòd uterq; sit aptus ad uersum. Adhuc responsi ad ea quæ tu tibi in tribus primis quæstionibus ad reprehẽdendum proposuisti. Nunc ad ea quæ in reliquis reprehendis eò pauciora dicam,q̃ tu in his brevior esse uoluisti.

Ac primum quartam quam tu tertiamdecimam appellas, consyderabo. Ea autem quæritur, quos numeros cum quibus misceri oporteat, atq; etiam quibus orationis generibus sint quiq; accommodatissimi. Hoc tu primum in ea reprehendis, quod si plenè tractaretur, ad usum referenda esset, propterea quòd species numerorum distinguendas susceperit. Iam tibi suprà ad hoc respondi, species numerorum, eorum naturam attingere. Cum enim definitio omnis ex genere sit & differẽtibus, profecto si definitio ad rei naturam pertineat, eius etiam partes pertinebunt. Hoc etiam docui, te in hac tota quæstione, qua Cicero de numeri natura quæreret, imperitè semper naturæ nomen ad definitionem traducere, cum οὐσίαν hoc loco declaret. Ex hac tua ignoratione paulò etiam infra proxima quæstione hæc tua conclusiuncula nata est, Nullam igitur adhuc naturam numeri, nullam definitionem tenemus. Nam quod ais, Ciceronem docere tres tantum pedes, iambũ dactylum & pæana inter se miscendos esse, falsum est. Neq; enim illud tantum, aut, quo uteris duntaxat, dicit. Quod primum hæc illius declarat oratio, ita in uaria & perpetua oratione hi sunt inter se miscendi & temperãdi. Deinde totus ille locus, quo & dochimũ, & spõdæum, & dichoreũ, & trochæum, & creticũ probat. Quanq; hoc loco de tota oratione, illic solum de eius clausula disputat. Sequitur quinta quæstio, cur nõ æquè in oratiõe atq; in uersu numerus appareat: in qua nihil tu reprehẽdis, nisi q̃ eã strictim & quasi prætereũs Cic. explicauerit. Q̃d ego tibi si cõcedã, an nõ hæc reprehẽsio tua iacebit? Nũc tãtum abest, ut hoc tibi dẽ,

ut Ciceronem pluribus uerbis in ea explicanda usum fuisse confirmem. Ab illo enim loco, eadem cum facia-mus quæ poetæ, effugimus tamen in oratione poemati-tis similitudinem, ad illam explicandam ingreditur, longáq; satis oratione in ea consumpta, hoc tandem cõ-cludit quod duas quæstiones explicat, Ita fit, ut non itẽ in oratione ut in uersu numerus extet, idq; quod nume-rosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnunquam aut concinnitate aut constructione uerbo-rum. Quod tu, quoniam quorsum à Cicerone fieret, igno-rasti, non est mirum si poetarum & oratorum similitu-dinem & dissimilitudinẽ hoc loco ut alieno tradi pu-tasti, nec ex illis superioribus inferiora hæc effici. Quæ-ris etiam tu hoc loco, quorsum hæc quæstio à Cicerone ponatur, totóne in ambitu uerborum numeri tenendi sint, an in primis partibus, atq; in extremis? atq; illud quæris, propterea q̃ non sit ex quindecim una: quasi uerõ positus certus quæstionibus, non liceat interim ido-neo loco ullam quæ ad rem pertineat, quasi interpone-re. Quæro de te Rame, cum hoc Cicero sentire se dixis-set omnes inter se permixtos & confusos pedes esse in oratione, iambumq;, dactylum, & pæana in toto ambi-tu temperandos: an non consequens & quasi cohærẽs hæc ipsa fuit quæstio?

Iam quod ais, nouẽ quæstiones quæ primæ fuerãt, postremas sequi egregio sanè (sic enim loqueris) cõfusio-nis ordine, hoc falsum esse iam suprà docui. Has enim nouẽ ea uia consyderandi complectitur, quã Cicero & breuiorẽ & planiorem uocauit. Has deinceps nouem quæstiones singillatim consyderas, strictimq; percurris.

Prima omnium est: Si numerus orationis quæritur quî sit, omnis est, sed alius alio melior atque aptior. Hanc Ciceronis responsionem gratiorem debere esse dicis, ob eam causam ꝙ perbreuis est. Si hæc satis grauis causa est, cur gratior responsio esse debeat: gratiores etiam cæteræ esse debent, sunt enim æquè breues. Rursus hoc loco in eodem luto hæres. Aliud est enim quærere qui sit numerus, aliud quid sit: ut aliud quis sit Ramus, aliud quid ipse sit. Et tamen utraque naturæ quæstio est. Altera quæstio est: Si locus in omni parte uerborũ. Hanc ais, suprà expositam esse, cum de toto ambitu quæreretur. Sanè exposita est, quod tu profectò nõ reprehenderes, si has nouem quæstiones ad uiam considerandi planiorem, ut initio huius loci ex Cicerone ostendi, pertinere indicauisses. Nam quod ais te eam dixisse tum ad usum pertinere, ego id tum docui falsum esse. Tertia illa iam sequitur: Si unde ortus sit ex aurium uoluptate: hãc etiam ais duobus primis membris, origine, & causa contineri. De origine illic ita disputauit, ut inuentores & auctores numeri originem diceret, & de causa quæ prima impulerit homines ut numerũ inuenirent. Hoc autem loco, originem etiam alterius repetiunt ab aurium uoluptate. Quanquam uideri potest causam eam quæ finalis uulgò dicitur, significauisse, ut origo domorum est caloris, frigoris, aliorúmque incommodorũ depulsio: quæ eadem finis earũ est. Quartam quæstionem, quotuplex sit numerus, ab illo omissam esse dicis, ob eámq; causam minus eum peccasse, quàm in cæteris partibus: quasi uerò leuius sit semper peccatum quod quis promiserit, non efficere, aut non tra-

ctare quod proposuerit: quàm aut in efficiendo quod promiserit aut in tractando proposuerit peccare, præsertim te scilicet idoneo iudice. Quòd si in cæteris docui non peccasse Ciceronem, non in hac minus peccauit, quàm in cæteris. At peccauit certè, ut minus non peccauerit. Si isto modo uelis cum omnibus agere, cum propositis quæstiunculis plurimis, unam omittunt uel casu, uel de industria, omnes ferè magnos auctores eodem crimine damnabis. Non est necesse quenquam hoc loco nominare. Cicero autem uel hanc non omisit omnino, uel omisit de industria. Si de industria omisit, hoc fecit propterea quòd eam antè longa oratione explicauisset: Si non omisit, quod mihi uerisimile uidetur, ita explicata fuit. Si unus, an duo, an plures? plures.

In quinta autem quam ille ad usum pertinere dixit, eum errare scientem prudentémque asseris. Sed quàm consentanea oratione, uideamus. Ergo, inquis, hãc partem intelligis, non naturæ, sed usui subiectam esse: & tamen prudens ac sciens erras, & alieno loco statuis. Hoc quidem loco dicendum, Ita prudens ac sciens erras. Sed ut ad illud reuertar, errat tibi Rame, qui quo quicque loco commodius tradi possit uel debeat, admonet. At quòd eam quæstionem in rei natura uersari antè dixerat, quam nunc ad usum pertinere ait, hoc mquies, reprehendo, in eóque illum errare dico. Hanc quidem potuit hoc loco ut antè proposuerat, explicare. Cui enim dubium est quin eadem quæstio, & ad naturam, & ad usum numeri referri possit, ea duntaxat sententia & intelligentia qua in natura spectauit? Si enim naturam ita restrictè accipere uolumus, ut

philosophi accipiunt, non ea ad naturã pertinebit, qua quando, non ea qua quo loco, quæritur. Eæ enim sunt accidentis, illorũ sententia. Sed hoc loco non naturam ab accidente separat, uerũ naturam numeri usumq; eius si minus re, at certe ratione distinguitur. Neq; enim re distinguũtur natura numeri, & usus eius, ut neque uestis, & uestis usus. In his igitur commoditatis tantum ratio habenda est, sicuti habita est à M. Tullio: quod quoniam non animaduertisti, & in hac peccasse eum confirmas, & in proximis duabus, quibus, & quando, & & quo loco numero utendum sit quæritur. Nunc prætermissis iocis tuis, quibus meliorem uenatorem te quàm dialecticum aut oratorem esse docuisti, ad ea uenio quæ contra usum numeri, quem Cicero monstrauerit tibi uisum est dicere. Cicero quidem quæstiones omnes quas ad usum numeri pertinere uidit, mitio proponit. Ad eas singulas, eum ais negare se responsurum esse, sed potius de uniuerso genere ductum. Vbi illud negauit? ubi hoc dixit? Verba quidem illius hæc sunt: Ac licet non ad singulares res respondentem de uniuerso genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse uideatur. Qui licere non ad singulas res respondere dicit, is singulis Rame responsurum se esse non negat. Aliud est enim licere alicui non respõdere, aliud negare se responsurum. Atq; in hoc primum à te peccatum est. Deinde etiam in eo, quòd his uerbis eum dicis negare ad singulas quæstiones quas de usu numeri proposuit esse responsurum. Singulas enim res dixit, non quæstiones, & singulæ res ad conuersum genus referuntur,

quod cum in dicendo uersari uelit, id est cum uniuersum genus dicendi intelligat, rebus etiam singulis, singula dicendi genera intelligat necesse est. Quod uerba illius hæc quæ continenter sequuntur indicant: Remotis igitur reliquis generibus unum selegimus, hoc quidem quod in causis foróque uersatur de quo dicere mus, & quæ sequuntur. Hoc tu loco exclamas & quæris, Deus bone quousque tandem unam esse grammaticam ignorabimus, qua omnis oratio munda, propria sit & elegans, sic unam esse doctrinam omnis elocutionis qua omnis oratio cuiuscunque generis modique ornata, & collocata sit? Quis hoc negat Rame? Vna est ornandi & collocandi doctrina, sed multa sunt & ornandi genera, & collocandi. Quæris etiam qui sint numeri sophistarum, qui non sint etiam communes oratorum. Lege diligenter Isocratem, tum intelliges, non esse alios numeros, sed genus esse orationis ab usu forensi remotum. Omnia enim nimis composita, & compta sunt, omnia nimiam curam in tenendis numeris redolent, crebrius paria paribus respondent, contraria contrarijs, quæ antitheta Græci uocant, quàm forensis consuetudo patiatur. Atque hoc illis genus conceditur propterea quòd aurium uoluptati seruiant. Oratori autem non conceditur, ne iudex insidijs fidem ac religionem suam attentari putet, eóque à causa eius animus abalienetur. Refelle iam, si potes, quod Cicero profitetur, non alios esse oratorum numeros, alios sophistarum, ut putas, sed aliud dicendi genus. Quàm quæso decorum est,

eius quem reprehendas nec intelligere, nec spectare sententiam? Vrges etiam nos definitionum prætermissione. Quæris enim, quid ambitus, quid membrum, quid incisum. Quasi uerò nefas sit de re ulla, prætermissa eius definitione, dicere. Quot igitur uerba diuersa erunt in quamlibet magnis libris, tot definitiones esse debebunt. Errauit Plato in Timæo, quòd cum multa de proportionibus cœlorum disseruerit, nusquam quid esset proportio, id est, λόγος explicauerit, & tamen quodam loco in Phædro docet, de re nulla rectè disseri posse, nisi antè quid sit constiterit. Hæc una est docendi ratio. Aliæ sunt præterea duæ, de quibus alio loco dictum est. Hoc etiam rectè addi potest, aliud esse artem scribere, aliud de arte iudicare. Qui artem scribit, eum necesse est artis uocabula quam ùm habeant definiendo aperire. Qui autem iudicat, id quod se Cicero suscepisse hoc loco dicit, non necesse habet definire omnia. Iam uerò cum artes eiusmodi sint, ut una alteri subsit, ut musica arithmeticæ, aut una naturæ ordine prior: non uitiosum est prætermittere eorum uerborum definitiones, quæ prioris artis sint propria: quoniam Grammatica naturæ ordine prior est Rhetorica, is qui rhetoricam artem docet aut scribit, non faciat contra officium, si in tradenda arte quid sit syllaba, quid dictio, quid pes, quid figura, quid alia innumerabilia, minimè exponat. Artem enim suam scribit ijs, qui grammatica cognita habeant. Hoc cum Cicero intelligeret, non necesse habuit quid esset ambitus, quid membrum, quid incisum explicare, Græcáque uerba cum

Latinis coniungere satis esse iudicauit, eorumq; definitionis uerborum à grammaticis petendas censuit. Quamquam hoc confirmare possum te, si horum uerborum uim definitione explicasset Cicero, eum reprehensurum fuisse. Quæro enim de te Rame, num grammatica potius officium sit quid sit nomen, quid uerbum quàm quid ambitus, quid membrum & incisum exponere? De nomine ac uerbo, non potes non confiteri. Ambitus autem seu comprehensio quid sit, cuius erit exponere si grammatica non est? præsertim cum is profiteatur rectè loquendi scribendiq; scientiam, in quibus oratio consistat, cuius partes sunt circunscriptio, membrum, & incisum: nec proferri aliquid recte possit, nisi ubi insistendum sit intelligatur. Itaque Diomedes, Priscianus, cæteriq; grammatici hæc in tradenda arte definiunt. Quæ cum ita sint, quid hoc loco Cicero facere debuit? Definire hæc uocabula? At si definitione uim eorum exposuisset, continuo eum grammaticos expilare clamasses, quemadmodum quadriennio ante in Aristotelem criminosum esse uoluisti, quod ut ante dixi in libro de interpretatione, nominis, uerbi, & orationis definitiones tradidisset. An eorũ definitiones prætermittere? At hoc illi ut uitium obiectas. Si & definiendo, & non definiendo peccare eum uis, quid quæso faciat? quid uerò est quod non reprehẽdas? aut potius quæ ista est tua reprehẽsio? Ais, reprehẽdo: negas, reprehẽdo: definis q̃d sit ambitus orationis, reprehẽdo: nõ definis, etiã reprehẽdo. Nemo umq̃ tã pugnãtia locutus est. Venio iam ad eã quæstionẽ quæ est de

numerorum obseruatione, qui locus quoniam utilis est, & à paucis animaduersus & notatus, in eo libentius commorabor. Cicero quidem numeros tradit hoc in libro qui sint clausulæ aptissimi, id est, qui cadenti orationi seu fini circuitus quē Græci περίοδον uocant, conueniant maxime, nec unum tantum pedem in extremo intelligit, sed secundum à postremo, sæpe etiam tertium. Dichoreum primo loco nominat, quem uideo ab eo maxime probatum. Constat è longa breui, longa breui, id est, ut ipse ait è singulis longis & breuibus, ut comprobauit. Consequatur. Antepono. Dochimum secundum dichoreum, quantum diuturna obseruatione notaui, maxime probat. Is est breui, duabus longis, breui, longa. hunc sæpe ut teneat, quę coniunctionem adhibet, sæpe etiam uerbum quatuor syllabarum, quod à uocali incipiat uerbo tertiæ personæ singularis antecedente dicit. Huius exemplum est, Constat oratio. Isto prætore peruaserit. Superioris huiusmodi, in quadrum numerumque sententias. Itaque hæc causa est, cur quę coniunctionem, non, & ac, aut atque dicat. Tum tribrachyn & spondæum aut Choreum consequentes probat, ut illud, esse uideatur. Sed tribrachyn longa syllaba, ut in hoc ipso exemplo debet antecedere. Iambum etiam & spondæum coniunctos tenet sæpissime, ut illud, tarditate cōpensat. Sed sæpius choreum & creticū uel dactylū, cuiusmodi est illud, maxime probat. In his loco priorū pedum spondæum, sed raro adhibet. sæpius iambū, quæ duo dochimū efficiūt. Illius exemplū est tale, non fere ternis amplius. Pæana quem non reiicit, raro adhibet, ut

illud,esse,brevior. Omnium autem minimum spondæum tenet antecedente dactylo,quem si tenet,non per se dictionem efficit,cuiusmodi est illud,efficit arma. Atq; has solum commutationes Cicero maximè probat. Sed aberro ab instituto. Defendendi enim hoc loco,non docendi partes sumpsi. Quare quid in his Ramus dignum reprehensione inuenerit,uideamus. Hoc quidem primum reprehendit, q̃ cum Cicero non solum de extremo pede loqui se confirmet, quem tamen creticum uelit antecedere non dixerit. Qui non dixit, quos pedes pximos esse uelit à cretico aut dactylo postremo,is nullum eorum quos nominat,reiicere se significat. Itaq; rectè spondæus,melius iambus,optimè trochæus proximus esse potest,quo etiam tribrachum addamus licet. In pæane altero,quem tu quartum grammaticos secutus appellas,pyrrichium te & iambũ ducis agnoscere,cui loco paulò pòst cum de iambo dicendum erit,respondebo. De dactylo autem, proximo à postremo,cum in extremo est trochæus uel spondæus, hoc tibi pro Cicerone,quem poetam eximium & egregium prolatis duobus eius uersibus facis, respondeo, quod tu ipse respondes,eum illud præceptum suum ita intelligere,ut nec dactylum suum, nec spondæum item suum uocabulum per se uelit efficere. Nec uerò dicenda sunt omnia ei qui præcepta tradat,alioqui commẽtarijs locus nullus relinqueretur: sed intelligi quædam satis est, quemadmodum hoc eius præceptum quale sit, & quænam eius sententia sit, exijs quæ ipse scripsit,intelligi licet. Vt enim omnia eius scripta diligentissimè euoluas, munq̃ reperire possis hos duos pedes

ita continuatos, ut per se uterq; ductionem suam faciat in clausula. Tum enim ordinem illorum immutat, Si igitur exemplo docuit, quod tu, si dixisset, excusari posse confirmas, cur eius sententiam in hoc præcepto ita explicabis, & interpretabere, ut eum dicas per ridiculum his singulis pedibus singula uocabula uelle comprehendi? Hoc uerò cum facit, non ipse, ut uis, secum discordat, nõ à se discrepat: aliud est enim poëmatis similẽ esse orationem, aliud hos duos pedes eo ordine quem Cicero intelligit, concludere. Similis enim poëmatis est oratio, cum est tota numerosa. i. cum uersus in eam immittuntur uel per imprudentiam, uel de industria. Itaq; ueteres, in his Aristoteles quem hic secutus est Cicero, uersum uetant esse in oratione, numerum non uetant esse sed iubent. Si ergo hi duo pedes sic continuati, sint numerus, cur eis uti non licebit? Si enim uti illis in oratione cadente non licet, cur iambo & dactylo qui senarium claudunt licebit? An quia heroicus uersus est usitatior? At senarius, ut ait Cicero, usitatissimus est. Nec uero hæc eò dico, quòd senarij & heroici uersus extremos duos pedes æquè probandos in oratione cadente existimem, sed ut ostendam non esse uitiosum hoc genus clausulæ, si raro & modicè adhibeatur. Sic enim à Ciceronis præceptis non abhorrebimus, quem uidemus uix in singulis libris bis hos pedes tenuisse in clausula. Quàm uero hoc ipsum reprehendere tibi placeat, hinc intelligi licet, quòd Ciceronem errare dixisti confirmantem nihil referre productáne extrema totius comprehensionis syllaba sit, an breuis. Despondæo ante spon-

dæum nihil loquitur Cicero, fateor: eorum enim tantum mentionem fecit, quos maximè cadenti orationi aptos uideret. Quæ uerò te criminandi libido uexabat, cum hæc scriberes, qui id Ciceroni obiiceris, quod falsum esse illius declarat oratio? Eum enim negas probare dactylum in extremo. Atqui hæc illius uerba te facilè coarguunt: Sed ijdem hi tres pedes male concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi cum pro cretico postremus est dactylus. Nihil enim interest dactylus sit extremus, an creticus, qua postrema syllaba breuis an longa sit, ne in uersu quidem refert. Audis Rame, dactylum in extremo à Cicerone collocari, non igitur eum ut uideris uis, communi loco rectè locari negat. Quid est quæso abuti patientia audientium aut legentium tua, aut bonis disciplinis & artibus quas tibi arrogas, aut odio & literis, si hoc non est? Omnes natura ueri cupiditate ducuntur, tu eos quantum in te est, à uero ad falsi cognitionem scientiamq; conuertis, aut peruertis potius. Artes omnes quæ libero homine dignæ sunt, homines ad ueri approbationem impellũt, dehortantur q; à contrario. Si qua est in te ars, illam totam eò confers, ut falsa pro ueris approbentur. Odium & literas in ueris bonisq; rebus docendis refellendisq; contrarijs ponere homines solent, tu in peruertenda ueritate & falsitate persuadenda. Hoc, credo, fecisti quòd omnes tantum tibi tributuros sperares, ut quicquid in Ciceronem dixisses, quicquid eum dicere aut negare confirmasses, id tam uerum esse crederent,

ut eius libros exquirendi ueri causa nunquam in manus aut uellent aut deberent sumere. Sed de iãbo uideamus. Ciceronis & præcepta & exempla contra ipsum facere confirmas, negantem pedem hunc recte cõcludere si in extremo locatus est. Primum exempla quæ profers considerabo, his enim cognitis atq; spectatis, & Ciceronis constantia perspicietur, gloriáq; retinebitur, & tua ignoratio inuidiáq; coarguetur. Quæris tu quidem unde sint illi iambi geminati in his clausis apud illum hoc in libro: Proceritate tardius. Orationis attinent. Maxime probo. Siculorum simillimum. Audiri libentius. Erras Brute noster, & te in istum errorem impulit uel inuidia uel ignoratio. Neq; enim est in his clausulis iambus duplex sed trochæus & creticus uel dactylus. Distinguendi enim sunt ita pedes, tate tardius, onis attinent, maxime pro borũ similimum, ri libentius. Quod quoniam non facis, nec sententiam Ciceronis spectas, nec eum refellis. Quod si faceres, ne præcepta quidem eius contra eum facere diceres. Non enim si in cretici aut pæanis duabus extremis syllabis iambus inest, idarco cum in extremo hi duo pedes locati sunt, iambus etiam est. Isto enim pacto heroici hexametriq; uersus ex iambis, trochæis, molossis, pyrrichijs, omnibusq; ferè pedibus constabunt. Quod idem in cæteris quoq; generibus continget. Non est hoc metiri aut distinguere pedes Rame, sed dissipare, sed confundere & frangere. Nec uerò si dichoreus hoc ipso Ciceroni probatur, q̃ è longa, breui, longa, breui, id est, ut ipse ait, è singulis longis & breuibus fit, idarco est iudicandus, ut ius, iambus præstantior.

Cur enim præstantior iudicandus sit, nisi maior quædam causa excellẽtiæ insit, intelligere nemo potest. Atqui eandem solum mixturam (sic enim loqueris) .i. temperationem habet, ex quo non præstantia, sed æqualitas concludi potest. Sed quis hoc tibi Deus responsum dedit, Brutum illum dichoreo, iambum præstantiorem iudicasse? Nam nec ipse quicquam quod quidem extet, scripsit, nisi paucas epistolas, nec de illo alius literis mãdauit, unde id posses cognoscere. Hoc diuinare est, Brute noster, non iudicare. Si quid fingi placet, in eo si minus ueritatem, at certè uerisimile sequamur. At Cicero ipse auctor est, uerba melius in longiores syllabas cadere. Idem etiam auctor est hoc in libro, quemadmodũ ex uerbis illius quæ paulò ante prolata sunt, intelligi potuit, syllaba extrema longa an breuis sit ne in uersu quidem referre. Dochimum postremo loco consyderas, quem in locum ad extremum omnem acerbitatem omnesq; aculeos accusationis numerorum uideris contulisse. Reprehendis enim Ciceronem ut confusionem inuehentem hoc loco, q̃ trisyllabos, quadrisyllabos & pentasyllabos pedes præclare & iucunde cadere concludereq; dixerit. Ita eos solum qui è duabus syllabis sunt, retines, cæteros improbas. Quis hoc loco non facile intelligat, id quod supra dixi, te ut quadriennio antè nouam dialecticam .i. à præceptis omniũ abhorrentem scripsisti, sic iam scripsisse, aut propediem scripturum esse artem rhetoricam ab omnium inuentis dissidentem? Probat Quintili. triũ, quatuor, & quinq; syllabarum pedes in clausula. Confundit isto iudice & perturbat omnia. Aristoteles eosdem tenuit. Erra-

uit, si istu credimus, Diomedes, Priscianus, & his antiquior Probus in eadem est sententia. Horum nihil ualet apud Ramum auctoritas. Quid est alios contemnere, sibi nimium tribuere: alios præ se indoctos, unum se eximium doctum'q; ducere, si hoc non est? Quid si doceo te facilitatis scilicet doctorem, artem hanc difficultatibus maximis & quasi ambagibus implicare: si lucis nouæ inuentorem, crassissimis tenebris obscurare: distinguere tuo iudicio conantem, confundere? Recita noua istius præcepta. PRÆCEPTA RAMI. Quanto uero facilius erat & uerius, omne hoc quantumcunq; decretum est, per quatuor simplices pedes obseruari? Quicquid enim potest in sex syllabis per trisyllabos aut alios pedes in tota illa confusione præcipi, id clarissimè potest, & facillimè sine ulla confusione per disyllabos obseruari, sic paucis uerbis perspicuè continentur, quæ tam perturbatè tradidisti. Rectè claudit choreus & choreus longa syllaba & iambus: pyrrichius, iambus, iambus, & spondæus: longa pyrrichius & spondæus: breuis spondæus & iambus, spondæus & spondæus. Intelligitis omnes opinor, quanta sit in isto homine in tradendis artibus facilitas. Non uult simplex homo dichoreum dicere, non dispondæum, sed choreum & choreum, spondæum & spondæum mauult. Credo ne mali aliquid proferendo quasi contagione contrahat. At quæ maior facilitas in choreo & choreo, quàm in dichoreo intelligitur? An non maior potius obscuritas? Qui enim audit & legit hoc totum, choreus & choreus, an non duos eósq;

diuersos choreos intelligit? non minus quàm qui audit aut legit Petrus *&* Petrus? *Quis uerò præter istũ sic unquam locutus est? Sed quàm astutè fecerit ne dochimum, creticum, & dactylum nominaret, quæso attendite. Creticum enim significat, cum ait, longa syllaba & iambus: dactylum his uerbis, longa pyrrichius: dochimus his, longa, spondæus iambus. Quam eius siue astutiam siue simplicitatem, si quis refellere uelit, an non hoc merito possit dicere? Cur dactylum potius Rame, longa & pyrrichio notas, quàm longa & duabus breuibus? Si hoc ut faceres te id quod inducis, facilitas monuit, hoc alterum multo est facilius. At dissyllabum pedem prætermitterem. An facilius est ad intelligendum qui pes sit pyrrichius, quàm dactylus? Isto quidem pacto præter hos quatuor pedes omnes reiiciendi erunt pœtis. Nullus est enim quamuis multarum syllabarum, qui non isto auctore adiectione huiusmodi facilius quàm suo nomine intelligatur. Longa enim & spondæus molossus intelligitur. Ita molossus abiiciendus est. Quod idem in cæteris fieri licet. Nam quod ais, in Dochimo uarios pedes intelligi, id paulò antè refutatum est. Isto enim pacto abiiciendi erunt à pœmate multi pedes, in quibus duo intelliguntur. Sed tamen in hoc ipso erras, quòd spondæum & iambum dochimum esse dicis. Aliud est enim esse hoc illud, aliud hæc in illo inesse. Sequitur ea quæstio quæ in comprehẽsionibus, membris, incisisq; uersatur. In qua primum ignorationis & imperitiæ crimine Ciceronem condemnas, q hoc Crassi exemplum, missos faciãt patronos, ipsi prodeant, duobus*

incisis constare dicat. Sed dum Ciceronis imperitiam alijs ostendere uis, prodis tuam. Vis enim periodum esse sententiam absolutam ex nulla alia pendentem, nec ad aliam spectantem: membrum sententiam ipsam perfectam quidem, sed alio tamen relatam, incisum uero membri particulam esse imperfectam & incompletam sententiam. Nam ut primum de ambitu dicam, quot nunc proferre possum partim ex Cicerone, partim ex alijs probatis auctoribus, qui ad alias sententias orationes q; pertinent? Ea enim orationes quibus nos causam rei afferimus, quibus q; aliquid concludimus periodi ferè sunt, & tamen ad aliam sententiam spectant, & ex ea pendent. Cuiusmodi sunt perorationes, quæ si sole pronuncantur, non est dubium quin animi audientium suspensi superiora, quibus conuincta sint, desyderent. Deinde incisum (nam de membro non est inter nos dissensio) incompletam uis esse sententiam. At Quintil. hoc exemplum affert: Diximus, testes dare uolumus, in quo duo incisa uult esse, cum interea utrumq; sententiam per se expleat. Idq; exemplū illud ponit Ciceronis ex XI Corneliana, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. idq; ex incisis esse dicit, tu ex membris. Vtris habenda est fides? Ciceroni & Quintiliano, an Ramo? Scribas tu nouam Rhetoricam censeo, initioq; totius operis moneas omnes, præcepta artis quæ sis traditurus, ab omnium qui de ea aliquid literis mandarunt præceptis abhorrere. Atq; hoc est quod primum in Cicerone Crassi uerba superiora proferenti iste reprehendit. Illud etiam ei ut uitium obiicit, q admo-

nuerit nos omnes, Crassum nisi interuallo dixisset, ipsi prodeant?, sensurum fuisse non effugisse senarium. Hæc autem Ciceronis obseruatio & prædictio, tanti isti fuit, ut & simplicem eum, & omnino rudem propterea dixerit, quo in loco nescio qua licentia usus est, ut rudem pro tardo, aut hebete poneret. Quanq; enim hunc locum à Cicerone mutuatus est, (erraui furatũ dicere uolui) tamen rudem ille aliter accepit. Nec uero satis habuit contumelijs talem uirum & oratorem afficere, eum etiam mendacij accusat, cum ipse in id uitium quod illi obijcit, quasi incurrerit. Ait enim uersum nullum esse, qui non & membra, & incisa intercipiat, quod quàm falsum sit, neminem ignorare arbitror. Sunt enim ut apud historicos & oratores simplices comprehensiones permultæ. i. quæ nullum membrum habent, nullam'q; incisionem: sic multi uersus apud poëtas. Nec si hoc admonuit Cicero, idcirco uersus qui apud poëtas membris incisis ue constat uersus esse desinit. Poëtarum enim oratio tota est è uersibus, oratorum autem numerosa est illa quidem, sed si è uersibus numerisq; planè constet, uitium erit, ut & ipse ait, & res est, intolerabile. Quod si forte per imprudentiam nobis excidant, aut si de industria à nobis inculcentur, ita denique excusationi locus erit, si membratim inciseq; dicamus. Nam quoniam oratorum numerosa, ut dixi, debet esse, id est numeris astricta, nõ dissoluta, nec poëma cum uersus membratim aut incisim dicimus, interuallum illud facit, ut quod uersus esset apud poëtam hic nõ appareat. In hoc genere il-

lud est Ciceronis pro Roscio comœdo. Veruntamen quem fraudarit uideamus. Quanq; modus adhibendus est, ne quod rarus usus excusat propter interuallum, id damnet consuetudo propter industriam, aut ut ita dicam affectationem. Exagitat etiam Ramus Ciceronis orationes in usque numeros reprehendit. Sed quàm rectè uideamus. Exemplum est illud sumptum ut antè dixi ex XI. Corneliana: Domus tibi deerat? at habebas. Cuius superius illud incisum, domus tibi deerat? in quinq; breues desinere dicit, aut si deerat sit, ut ait, duarum syllabarum, turpius in finem heroici uersus, quorum utrumq; falsum est. Nam nec in quinq; breues, nec in uersum heroicum desinit. Primum enim extrema pro longa habetur, deinde illud in numeris animaduertere aut scire debuit, qui numeros se scire profitetur, cum extrema uerbi indifferens est & anceps, ea non potius pro breui quàm pro longa esse habendam. Si enim eam breuem esse us, cum eandem contrà productam esse dixero, quo longus progrediare, non habebis. Vt in hoc pronomine tibi usu uenit. Productam enim hoc loco eam esse à Cicerone dico. Quanq; hoc totum longe aliter possum defendere. Quis enim te Rame, in incisis & membris media oratione cadentibus tam religiosum aut potius superstitiosum esse docuit, ut in eis numeros eosdem quos in clausulis tenendos censeres? Nemo certè. Sed hic me rursum errare intelligo. Nouam enim rhetoricam cogitat aut scribit. In ea quæstione quæ omnium extrema de numeri uti-

litate est iudicium tãtum Ciceronis de numeris qui permutatione uerborum stante sententia iacent, reprehendit. Sunt autem tria exempla ex Corneliana sumpta, quorum medium primo loco consyderat concẽditq; numerosẽ concludere, sed in numeris exponendis peccat. Neq; enim hæc oratio cadens Marcellos, Maximósq;, multi eunuchi è Syria Ægyptóq; uicerunt, ex iãbo & spondæo constat magis quàm è cretico atq; spondæo aut choreo & molosso. Sed maior est error qui sequitur. Reprehendit enim Ciceronem quasi superiora uerba neget præclare cadere, si hoc modo permutentur. Vicerunt eunuchi è Syria Ægyptóq;. Nõ enim numerum reprehendit, sed dissolutam orationem. Quod quò facilius intelligi possit, & iste coargui, uerba Ciceronis addam: Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si compositi oratoris bene structam collocationẽ dissoluas permutatione uerborum. Paulo etiam infrà cum tria exempla prolata immutauit, uides ne ut ordine uerborum paulum commutato ijsdem uerbis stante sententia ad nihilum omnia recidant cum sint exaptis dissoluta. Ex quo facile intelligitur, quæ sit istius reprehensio, cum illius quem reprehendat non spectarit sententiam. Cicero enim de apta oratione dicat, iste de numerosa eum putat dicere. Errauit rursus in explicandis huius clausulæ pedibus, potuisse superari, numerum enim ait esse ex pyrrichio præcedẽte breui & spõdæo, cũ Cice. è tribracho & spõdæo aut choreo esse uelit. Sed hic rursus error. Est enim hæc eius noua clausula. Reprehẽdit hoc etiã in Cicerone, ꝙ fortius uelit uerbo

claudi quàm nomine orationem, quasi uerò hoc præcipiat Cicero, qui eam ferè sæpius nomine claudit q̃ uerbo, interdum etiam alijs orationis partibus. Neque enim ullam orationis partem fugit, è qua dumtaxat numerus existat.

Quapropter si ita ea omnia quæ Ramus in Ciceronis oratore reprehẽdit, refelli ac dilui, ut eum qui Ciceronem corrigere uelle uidebatur, errare partim inuidia ductum & impulsum, partim ignoratione impeditum, docuerim: si eum in his omnibus quæ in illo reprehenderet, ipsius sententiam nõ spectasse ostendi: si docui non necesse habuisse Ciceronem ea definire, quorum definitiones ut necessarias iste requireret: si denique Ciceronem demonstraui ea quæ idem perturbatè confuséq; ab illo tractata dixerit sic distinctè faciléq; tradidisse, ut apta omnia inter se sint, nihilq; non suo loco dilucidè perspicuéq; explicatum sit, quod quidem ad eam quæstionem quam de perfecto oratore instituerat pertineret: profectò & hic liber Ciceronis ut summè necessarius retinendus est, legendus, ediscendus: & brutinæ quæstiones istius ut pernitiosæ, non solum reiiciẽdæ & explodendæ, uerumetiã in ignem coniiciẽdæ sunt. Auctor uero tanti mali qui cum spinas & inimicas herbas tantum ex hoc agro euulsurum se Henrico tum delphino, iam principi ac regi clarissimo, pollicitus esset: non spinas aut inimicas herbas, quæ nullæ in eo sunt euellit: sed agrum ipsum cum frugibus conatus est euertere, ex hoc ipso agro ut malus agricola, eiiciendus est, diplomate Regio eiusdem exempli, aut etiam gra-

uioris, quàm illud fuit quo quadriennio ante è dialectícæ finibus expulsus est. Quod si fiat, id quod & omnium bonorum diligentia ac consensione, & benignitate principis fretus, futurum spero, omnibus ante denuncio ac prædico id quod abhinc quadriennio fecì, nisi suam quisque artem ac scientiam diligentissimè tueatur, in eiusq; arce præsidiũ collocet, fore ut ista bonarũ disciplinarũ pernicies in fines illius irrumpat. Ejecta enim his paucis annis ex Dialectícæ agro, propediem etiam è Rhetoricæ finibus, aut mitreat, si diligentes & cauti sumus: aut si negligemus, serpat latius necesse est.

BIBLIOT. UNIWERSYT. W POZNANIU

FINIS.



